Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
D
35
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

XVIII
D
35

Digitized by Google

Digitized by Google

VINDICATIO
JVRIS IMPERIALIS
in
MAGNVM TVSCIAE DVCATVM,
ſive
CONFVTATIO SCRIPTIONIS,
Cui Titulus
MEMOIRE SVR LA LIBERTÉ DE L'ETAT DE FLORENCE,
ubi

plura, jus Imperii propugnantia ac confirmantia, ex genuinis Annalibus, Diplomatibus et Actis Publicis proferuntur ac inſimul objectiones et argumenta, pro Suprematu Florentino concinnata, breviter ac perſpicue removentur

a

Friderico Ludovico Nobili
Domino de Berger.

Anno M DCC XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

AVGVSTISSIMO
AC
INVICTISSIMO
CAROLO
VI.
ROMANORVM
IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO
GERMANIAE, CASTELLAE,
ARRAGONIAE, LEGIONIS, VTRIVSQVE
SICILIAE, HIERVSALEM, HVNGARIAE,
BOHEMIAE, DALMATIAE, CROATIAE,
SCLAVONIAE, NAVARRAE, GRANATAE, TOLETI,
VALENTIAE, GALLITIAE, MAIORICARVM,
SEVILIAE, SARDINIAE, CORDVBAE, CORSICAE,
MVRCIAE, GIENNIS, ALGARBIAE, ALGEZIRAE,
GIBRALTARIS, INSVLARVM CANARIAE ET INDIARVM
AC TERRAE FIRMAE, MARIS OCEANI
REGI,

Digitized by Google

ARCHIDVCI AVSTRIAE,
DVCI
BVRGVNDIAE, BRABANTIAE, MEDIOLANI, MANTVAE, STYRIAE, CARINTHIAE, CARNIOLAE, LIMBVRGIAE, GELDRIAE, VIRTENBERGIAE, SVPERIORIS ET INFERIORIS SILESIAE, CALABRIAE, ATHENARVM ET NEOPATRIAE,
PRINCIPI
SVEVIAE, CATALONIAE ET ASTVRIAE,
MARCHIONI
SACRI ROMANI IMPERII, BVRGOVIAE, MORAVIAE, SVPERIORIS ET INFERIORIS LVSATIAE,
COMITI
HABSBVRGI, FLANDRIAE, TYROLIS, FERRETIS, KYBVRGI, GORITIAE ET ARTHESIAE,
LANDGRAVIO ALSATIAE,
MARCHIONI ORISTANI, COMITI GOZIANI, NAMVRCI, ROSSILIONIS ET CERITANIAE,
DOMINO
MARCHIAE SCLAVONICAE, PORTVS NAONIS, BISCAIAE, MOLINAE, SALINARVM, TRIPOLIS ET MECHLINIAE,

etc. etc. etc.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

AVGVSTISSIME CAESAR,

DOMINE CLEMENTISSIME.

TAnta exſtat SACRAE MAIESTATIS TVAE *in eos, qui officii boni civis non immemores, jura* IPSIVS *ac Sacri Imperii, cui, ſanctiſſima dignitate poteſtateque coruſcans ubique, dominatur, literis venerabundi vindicant, gratia, et tanta in literatos clementia, ut animus ad commentationem quandam, adſertionem juſtiſſi-*

❋ ❋ ❋

mam pariter ac illuſtriſſimam quae complectatur, ſummiſſo cultu offerendam merito alliciatur. Enim vero, quum nuper admodum ſcriptio prodiiſſet aliqua, quae S. MAIESTATIS TVAE *atque Imperii Romano-Teutonici dominium directum ac jurisdictionem in territorium Tuſciae Italicum ſupremam dubitationibus implicare, et iſti libertatem perfectam ſuprematumque, quem vocant, adſignare minus erubuit, jam autem* S. MAIESTATIS TVAE *inſigniter referre videatur, jura, tot egregiis titulis totque praeclaris actis comparata, adverſus qualescunque temerarias objectiones molitionesque defendi, ac hoc praeſertim aevo univerſo orbi, documentis rerum publicis congeſtis, declarari; hoc ipſum jam ante complures menſes cupiditatem eas decenter confutandi menti devotiſſimae inſtillavit. Si unquam,* IMPERATOR SACRATISSIME, *jurisdictio et dominium ſublimius,* S. MAIESTATI TVAE *proprium, celſiſſimoque Imperiali Faſtigio arctiſſimo vinculo connexum, in regionem, S. Imperii finibus concluſam, veritatis clariſſimae luce conſpicuum deprehendatur, id quidem de ditione Florentina publice ut profiteamur, par eſt. Certe iſta, quae Divus Carolus V. Anteceſſor* S. MAIESTATIS TVAE *Glorioſiſſimus, circa coërcitionem Florentinorum juſtiſſimam, reſtitutionem Familiae Mediceae, et novi publicae rei ſtatus diſpoſitionem, immortali Nominis Auguſtiſſimi gloria, prudentiſſime exſequutus fuit, ſubjectionem Etruſcam abunde commonſtrant ac reſtaurationem*

tionem

❀ ❀ ❀

tionem confirmationemque Poteſtatis Imperialis mirifice evincunt. Igitur ſumma aequitate innixa S. MAJESTAS TVA, *atque Majorum exemplis manifeſtis cunctaque laude ſuperioribus ducta Gentium conſenſu unanimi cenſenda eſt, quum facultatem, tos eximiis modis adquiſitam olim, et inveterata conſuetudine, poſſesſioneque diuturna, corroboratam, convelli adverſariorum machinationibus, vel imminui minus patiatur, potius verbis, factisque, eminentisſimum Axioma* SPONSI ATQVE NATVRALIS DOMINI ITALIAE *Carolo IV. Auguſto, quondam attributum, hic etiam propugnet, ac gravisſime eat vindicatum. Equidem* S. MAIESTATIS TVAE *Juſtitia et Aequanimitas, qua duce tantum Imperium, admirabili felicitate comite, continetur, regitur, amplificatur, adeo laxe diffuſa eſt, ut Principibus Italis jura, ac privilegia a Divis antea Romanis Imperatoribus et Italiae Regibus, incomparabili aeternoque gratiae documento, indulta, ſarta tecta clementisſime relinquat, immo priſcis beneficiorum inſignium cumulis novos quotidie adjungat, et ubicunque* MAXIMI PRINCIPIS ATQVE PATRIS PATRIAE INDVLGENTISSIMI *officiis excellentisſime perfectisſimeque defungatur. Sed, quemadmodum benignitas et liberalis rerum humanarum concesſio illam virtutem coarguit, in excelſo poſitam loco, atque deſignat, quae Principes, terrarum Dominos et Moderatores, maxime exornat, ac Ipſis* DIVINA *auctoritate voluntateque adſcri-*

※ ※ ※

ſcriptum pridem , DEORVM TERRESTRIVM *elogium parit ; contra quoque ingratisſimi animi teſtimonium hinc elicitur, ſicubi tantis beneficiis onuſti exemtionem a dominatione ſuprema deinceps moliantur, et plenam libertatem adfectent, Quapropter indoles vaſtiſſimi amplisſimique characteris Imperatorii, quo Gratia* NVMINIS AETERNI, *applaudente , qua late patet, univerſo terrarum Orbe, et laetantibus humiliter enixeque cunctis Imperii Romano-Germanici Civibus ac Membris,* SACRAM MAIESTATEM TVAM, *ſapientisſimo conſilio, condecoravit, merito intelligitur poſtulare, ut non ſolum* ILLA *Fidelibus Suis varii generis commoda et emolumenta benignisſime largiatur, ſed regiones identidem clientelares, Auguſtisſimo Regimini ſubditas, debiti obſequii fortiter admoneat, atque, ditionibus magis magisque communi vinculo invicem colligatis, ampliſſimum Imperii, quo nullum glorioſius ac illuſtrius unquam apparuiſſe rerum monimenta commemorant, augeat, et contra quaslibet exterorum hoſtium malevolas tentationes invictum immotumque efficiat. Neque vero S. Imperii tantummodo intereſt* , CAESAR INVICTISSIME, *ut demonſtretur, Hetruriam integram Ejusdem conſtituere portionem, ac inveteratum ſolidum dominium adſtruatur. Serenisſimae itidem Domus Auſtriacae ſalus quadantenus hic verſatur, quae in* S. MAIESTATIS TVAE, *favore* DIVINO *tot praeſtantisſimis Regnis atque Provinciis gubernandis conſecratae, Sanctisſima Perſona,*

ſum-

Digitized by Google

ſummo Ejusdem Capite et Statore, vivam ſui imaginem repraeſentat, atque, ſub auſpiciis Tanti MODERATORIS, *indies ad magnitudinem talem, increſcens evehitur, qualis innuere ſatis poſſit, Auguſtae Genti, e coelo in terras demiſſae, ad Imperia terrarum capeſſenda, diademata ſceptraque geſtanda, perpetuam ſic eſſe inſitam, et, ſingulari mirabilique fato quodam, conjunctam proſperitatem, ut nunquam divelli hinc debeat aut ſegregari. Plane Divus Carolus V, cujus altissimas virtutes, ac immortali gloria res peractas univerſus terrarum complexus conſtanter veneratur, Provinciarum Auſtriacarum compagem plurimum auxit, dum in Italia apprime, atque Belgio, diverſas regiones armis partim, partim pacatis mediis conquiſivit, Hiſpanorum Procerum animos in fide, patri jam, Philippo I. ſanctius addicta, mirifice confirmavit, itidemque, privilegiorum optimorum ratihabitione veluti ac prorogatione juſtisſima inſtituta*, Majeſtatem Auſtriam *prudentisſime corroboravit. Aſt*, CAESAR POTENTISSIME, *longe eminentius adhuc* S. MAIESTAS TVA Fortunae CAROLINAE, *quam* Conſtantia *atque* Fortitudo *ſuſtinent, magisque extollunt, omni ſeculorum memoria celebratae, exemplar poſteritati ad imitandum proponit, dum publicam Imperii tranquillitatem, gravisſimis antehac bellis interpolatam, pace initio ferme Auguſtisſimi Regiminis ubivis concluſa, auſpicatisſime revocavit non ſolum, ſed Provinciarum quoque Hereditariarum amplisſimo ſyſtemati, tum Belgica*

)( )(*avita*

avita plurima, tum Italica praecipue territoria, utputa Mediolani, ac Mantuae, Ducatus validisſimos, immo potentisſimum Siciliae utriusque Regnum, Hereditatis maxime, Divino humanoque jure debitae, fructus et Auſtriae Sublimitati convenientia prorſus emolumenta, perpetua foederis ſingularis lege inſeruit, proinde poteſtatem, quavis alia ſuperiorem, applaudentibus cunctis S. Imperii Ordinibus, laetantibus tot Regnorum terrarumque civibus ac ſubditis, non invidente demum, meliorum quousque exiſtimatur partium, Europaeo Orbe, in Heſperiae oris conciliavit. Hasce autem egregias, et DIVINO beneficio collatas, accesſiones, aliis forſan mox dilatandas, Senarum praeſertim Dominium ſicubi reſpiciatur, quum conſervari, tam S. Imperio, quam S. MAIESTATIS TVAE Auguſtae Domui inſigniter et praegnanti ratione aliqua expediat, neque minus conſervationi iſti promovendae accedere videatur, quando Imperii jura in reliquos Italiae Ducatus praeſtentur ſemper inviolata; atque omnis diſſenſiones fatales et noxia incommoda ſuſcitandi occaſio, quam alioqui Suprematus plenaeque libertatis in Etruriam introductio, vel tacita permiſſio facillime ſuggereret, praeſcindatur; non inutilem nunc impenderit prope operam, qui illa, ante haud nimis exculta et demonſtrata, e tenebris quaſi eliciat, atque, inaeſtimabili Tanti PRINCIPIS Gratia confiſus, et cauſſae, immenſa ſimul aequitate fultae, ponderoſisſima gravitate impulſus, literis producat exarata.

Cum

Digitized by Google

❊ ❊ ❊

Cum igitur, IMPERATOR CLEMENTISSIME, *tam inclutae*, *tamque momentoſae quaeſtionis*, *de vindicanda in Tuſciam Imperiali Facultate formatae*, *argumenta praeſtantiora in praeſenti opuſculo fuerint*, *quantum ingenii vires paſſae, delineata, ad pedes* S. MAIESTATIS TVAE *id ut deponam*, *humillimi cultus religio jubet*, *cui indoles hujusmodi connata*, *ut iis*, *qui*, *tenuitatem offerendorum ſacrificiorum anxie nimis conſiderantes, a via ideo deflectunt*, *merito iraſcatur*; *quandoquidem ipſa ea*, *quae* COELESTIS NVMINIS *aris olim admovebantur*, *exigui pretii ſaepius res*, primitiarum *itidem oblatio ſicubi ſpectetur*, *efficiebant*, *neque tamen absque grandi piaculo omitti poterant*. *Summi Principes*, *in altisſimo dignitatis auctoritatisque culmine quantumvis collocati ſint*, *non ſolent dedignari*, *quicquid ſummiſſa cum pietate*, *ac ſincera veneratione offertur*. *Quapropter*, INTER PRINCIPES MAXIME, S. MAIESTATEM TVAM *humillimis precibus ſupplex adeo rogoque*, *ne gravetur* IPSA, *commentationem*, EIVSDEM *Nomini Auguſtisſimo dicatam ac conſecratam*, *clementisſime intueri*, *atque auctori Gratiam Protectionemque* CAESAREAM, *omni efficacia efficaciorem*, *benignisſime elargiri*, *utputa qui nil unquam magis inter vota eſt relaturus*, *quam ut* NVMEN AETERNVM, ***quod S. Imperium, ſub auſpiciis Invictisſimorum Imperatorum, e Serenisſima Gente Auſtria oriundorum, florentisſimum***, ***per tot ſecula cuſtodivit***, ***et admirabiliter defen-***

)( )(2 dit,

❀ ❀ ❀

dit, S. MAIESTATEM TVAM *incolumem diutiſſime tot populorum ingenti ſolatio proſperitatique indulgeat*, *ac* Solio Imperiali, *ultra quamcunque fortunam humanam evecto, nec non Auguſtiſſimae Domui Archi-Ducali perennia circumfundat incrementa*, *hancce maſcula ſobole*, *univerſali ardore intimisque ſuſpiriis pridem exoptata*, *beet*, *inſtruat*, *tandem*, *cunctas* CAROLINAS Felicitates *in* CAROLO SEXTO, AVGVSTORVM AVGVSTO *conſpirare*, *et usque ad ſeram poſteritatem permanere*, *mitiſſime patiatur*.

S. CAESAREAE MAIESTATI
TVAE

aeterna ſubjectionis atque obſequii lege

devotiſſimus

Fridericus Ludovicus Nobilis Dominus
de Berger,

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Lecturo Benivolo

Salutem plurimam

Auctor Vindicationis.

EQuidem non opus eſſe videbatur, *Lector Benivole*, ut Praefatio quaedam *Vindiciis* hisce praemitteretur, quum ſolum titulum inſpiciens propoſiti finem cauſſamque haud aegre poſſit aeſtimare. Nihilominus mentem adgreſſuri lectionem Commentationis paululum praeparari et inſtrui melius, arbitror, ſicubi commoneantur aliqua, quae reſciri et curatius cognoſci forſan expedit, ſaltem mea tantiſper refert. Prodierat nuper Commentatio, idiomate Gallico exarata, Auctore locoque incerto, adpellatione utriusque neglecta, ubi agebatur id, ut ſuprematus ſive perfecta a jurisdictione dominioque Imperii Romano-Teutonici directo exemtio, atque, quam vocant, independentia Magno Hetruriae Ducatui vindicaretur. Jam compluſes elapſi menſes, ubi caſu fortuito Deductio iſta in manus inciderat, quam cum, indagandi argumenta, ibi propoſita, cupidus, evolverem, non ſatis mirabar, qui fieri poſſet, ut tam audacter quis dogmata orbi Europaeo obtruderet,

 nullo

nullo idoneo fundamento innixa et juribus Imperii manifeſtis adeo adverſa. Initio quidem ſerio minus de refellenda ſcriptione cogitabatur, cum perſpectum apprime haberem, de controverſiis, quae Magnos inter Principes agitantur, et tam arduum negotium attinent ſtatumque publicum ac Politicum propius attingunt, ſententiam publice expromere privatis non ſemper licere, dein veritati hanc indolem velut inſitam, neſcio quo fato, eſſe, ut odium parere ſoleat. Porro id dubitationis animum inceſſerat annon forte Deductio iſta Gallica auctoritate publica et mandato Aulae Florentinae fuiſſet concinnata; quo quidem caſu, ſi de refutatione diſquiratur, iterum commiſſione et voluntate Superioris, contra cujus jura iſta directa deprehenditur, res indigere merito intelligitur. Attamen omnes hi ſcrupuli non efficere tandem poterant, ut ideo a defendendo et vindicando Imperii jure abſterreret, officii cujuslibet boni civis non immemor et una animadvertens, alios quoque eodem fortaſſis incitante, ad delineanda quaedam, huc ſpectantia, fuiſſe compulſos. Neque referre nimis cenſebam, quo facto quove inſtinctu Suprematus Tuſciae fuiſſet adſertus, rem ipſam ſolum conſideraturus, quaſi minus cum perſona dimicandum eſſet; cui, in quacunque dignitate conſtituta ſit, et quocunque demum ſtimulo ducta adverſus Imperii facultatem calamo pugnarit, nil uſpiam nocebit, ſi rationes modeſtę et ſolide reſolvantur. Igitur refutationem, quae ideo maxime neceſſaria, ne tacendo Germani victas dent Italis manus,

ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipiens, eo ingenii vires quantumcunque exiguas contendi, ut non ſolum jura Imperialia ſimpliciter ex Annalibus genuinis et Diplomatibus eruta apparerent, ſed praeſertim quoque objectionibus variis fieret ſatis tortaeque et arbitrariae nimis publicorum Inſtrumentorum explicationes ſubverterentur, aliis iisque idoneis magis ſubſtitutis. Quod quidem inſtitutum tam proſpere ceſſit, ut jam plures ante menſes *Refutatio* haecce fuerit perfecta et labor ad finem perductus, ſic, ut non erubuerim, S. Caeſareae Majeſtatis Status Miniſtris ac Conſiliariis ſecretioribus longe eminentiſſimis, ſummiſſa veneratione, tanquam primitias induſtriae publicae offerre, priusquam adhuc de impreſſione coepiſſem exſtare ſollicitus, quam nunc demum procuravi, intelligens, iſtas ſummis Viris minus diſplicuiſſe. Scriptores, pro jure Imperii adlegatos, magnam partem Florentinos idcirco ſelectos fuiſſe, facile colligitur, quia Adverſarii erroris non fortius coarguuntur ac convincuntur, quam ſi ipſi Annales domeſtici et ubivis probati refragari doceantur. E Teutonicis itidem Hiſtoricis adducti quidam, quibus hic merito jungendus quoque *Procopius Lupacius*, Scriptor Bojoëmus in *Ephemeride* ſive *Kalendario Hiſtorico*, ad *VI. Januar.* (e MS.) memorat, A. 1313. *Joannem Regem Bohemiae, Sacri Imperii per Germaniam Vicarium Generalem, conventus Principum Imperii in inclyta urbe Noriberga egiſſe, ut auxiliares copias Patri ſuo* (Henrico VII. Imp.) *tanquam Romanorum Imperatori, adverſus* FLORENTINOS, *quos uti* RE-

BEL-

BELLES *coërcitos eſſe voluit*, *exhiberent*. Sed vetuſtiores recentioribus praelati, quoniam iſti coaevi exſtant, et de rebus quandoque perhibent, quarum notitiam minus famae inani et ambiguae, potius experientiae propriae debuerunt. Certe ex recentioribus parum ſolatii accerſiveris, quum in re antiquiori generaliter parum fidei promereantur, ni teſtimonio coaevorum ſuffulciantur, immo quidam tam imperite de jure Imperii in Hetruriam commemorarunt, ut Principes hujus regionis pro liberis et a jurisdictione Imperiali immunibus habuerint, fabulam, ab Italis de venditione Rudolphina excogitatam, improvide ſequuti. Vnde demonſtratum fuit, cauſſam ſuprematus Florentini cumulum Scriptorum Germanicorum parum juvare, quum imperitia et error privatorum, Principum Summorum jura, egregie juſteque adquiſita, nec tollat, nec imminuat. Immo obſervatum fuit, Catalogo, *Appendici* annexo, plures inſertos, qui Hiſtoricorum nec nomine nec elogio digni, ultra Jurisprudentiam Romanam parum ſapientes. Ceterum hinc diſcitur, quam caute verſandum ſit in juribus Imperii tuendis. Quandoque JCti et Hiſtorici Teutonici Imperio nimis blandientes, vel normam dijudicandi genuinam ignorantes, hujus fines praeter fas extulere, Imperium Romanum priſcum hodierno perperam commiſcentes; quae omnia melius diſcrevit *H. Conringius* in praeclaro opere *de Finibus Imperii Germanici*. Quidam viceverſa arctiores limites finxerunt ſibi, nexus, quo Italiae Regnum Teutonico colligatum eſt, originem, formam

mam

mam effectumque neſcientes. Sed cuncta iſta ſatis in *Vindicatione*, prout enucleandae Imperii jurisdictioni ſupremae in Hetruriam conducunt, fuiſſe explicita, *Lector Benivolus* ipſemet judicarit. Enimvero, ni origo cujuslibet rei exquiſitius indagetur, nunquam adaequatum prorſus judicium poterit efformari. Neque lites iſtiusmodi ſine cognitione Annalium ſobria probe dirimuntur. In omni Juris Publici ſcientia plurimam vim exercet Hiſtoriae notitia. Inprimis tum praerequiritur, cum jus in regionem, ubi Rectores pluribus juribus eminent, ab aliis Principibus, ſupremis nimirum et Regali decore coruſcantibus, independentium inſtar cenſentur ac excipiuntur itemque libertatis Juris Gentium cauſſam in praeſcriptione longaeva collocant et omiſſum Imperialis jurisdictionis exercitium urgent, eſt adſerendum. Tum enim mos ſeculi, quo privilegia et jura fuere indulta, inquirendus eſt itemque occaſio, quae liberalitatem ſuggeſſit, perſcrutanda, et univerſa res aliorum exemplis illuſtranda, quae, ſi adaequata exſtare debeant, ex Annalium ſqualore et pulvere compilare, moleſtiam non raro conciliat. Dein interpolatio et interruptio praeſcriptionis praetenſae ſcite docenda atque varia facta actusque, huc collineantes, recenſendi, qui non aliunde dignoſcuntur, quam ex ſedula Hiſtoricorum evolutione. Neque tamen in ſola factorum hujus generis conſignatione ſubſiſtere fas eſt. Juris quoque ratio jungenda ob perpetuam, quae hic intercedit, connexionem. Applicatio ſane juris, cum de vindicando dominio

 dire-

directo quodam, vel poteſtate ſuperiori agatur, tam eo caſu neceſſaria, quando effectus, ex tot actibus Hiſtoricis rerumque monimentis redundans, explicatur, quam itidem locum obtinet, ſi privilegia ſint enodanda ac inprimis facta juxta normam Gentium Juris dijudicanda. Enimvero non ſatis ſaepe aeſtimant Viri eruditi, quantam auctoritatem quantumque praeſidium Juris Gentium ſobria ſcientia in diffiniendis illuſtribus controverſiis praeſtet. Atque hocce jus ratione prorſus ſuſtinetur et moribus populorum ſolet invaleſcere. Exinde edocemur, quinam extent veri characteres, unde qualitas dominii ſupremi et, quae iſti reſpondet, ſubordinationis conjiciatur. Inde ſcimus, quomodo poteſtas et jus in civitatem aliquam, vel Principatum concilietur, et qua ratione iterum amittatur. Plane non omnes tituli, quibus ſubminiſtrantibus privatorum dominia ſtabiliuntur, in capeſſendo populi dominatu et procuranda ſubjectione probe verſantur, ubi ſingulares ſaepe modi uſurpari conſueverunt; veluti exemplo belli et aliis liquet. Licet enim occupatione bellica rerum proprietas quoque privatis conciliari poſſit, proprie tamen titulus bellicus ad obtinenda populorum regionumque imperia conſpirat et ex regulis Gentium Juris eſt dimetiendus. Jam iſtud Jus paſſim in *Vindiciis noſtris* propoſitum et ad quaeſtionem praeſentem accomodatum fuit, ubi praeſertim de titulis, quibus Imperii jus in Etruriam communitum deprehenditur, diſſerui. Amplius Politices genuinae principia haud fuiſſe neglecta, *Lector*, juſtus rerum aeſtimator, vix

dif-

diffitebitur. Neque ea praeterire par viſum fuit,cum Jus Gentium et omne Publicum, ſive univerſale, ſive particulare ſeu Reipublicae alicui proprium, tum demum, probe capiatur et accommodetur, ſicubi principia Politica fuerint apte praeſtructa. Plane juris ratio diſcutiendis controverſiis illuſtrium ſucceſſionum et aliis Principum cauſſis non ſola ſufficit. Potius ſpectandum quoque, quid publicae rei conducat, et quid mos ſeculi perferat. Id enim inter Gentes jam diu moris invaluit,ut exiſtimetur,ſatius aliquando fore, ſi quis juri ſuo repudium mittat, ne turbae moveantur et Principes invicem collidantur. Neque minus liquet, iſtos quoque, qui regioni liberrima poteſtate imperant, nil debere circa negotium ſucceſſionis ſuſcipere, quod vicino noxam adferre poſſit, cum *Ratio Status* quemlibet ſuis ſtudere commodis et praecavere ſibi quovis modo jubeat. Igitur, quamvis cônſtaret, Magnum Florentiae Ducem a juriſdictione Imperiali prorſus exemtum eſſe,nihilominus Caeſari ac Domui Auſtriacae nemo inviderit,ſi *Regula Politica*, quae conſervandis ditionibus inſervit, utantur et Magnum Ducem eo adigant, ne de ſucceſſione in praejudicium ipſorum diſponat. Nimirum, ſicubi Hetruriae Ducatus Carolo Andegavenſi, vel alii Principi, jure ſupremo inſtructus traderetur, mox contingeret, ut is, Regio axiomate aſſumto, vicinas ditiones invaderet ac regnum in regno formaret et Vaſallos Italicos, qui Imperio parent, ſibi ſubjiceret. Quapropter expoſcit ſalus totius Imperii,ut nexus clientelaris ſtet intemeratus, immo firmetur magis et futu-

 rus

rus poſſeſſor vinculo fidei et obſequii, Imperio praeſtandi, obſtringatur. Hac igitur ratione, *Lector Benivole*, hisque argumentis innixus breviter (nam in re tam manifeſta prolixa nimis ſcriptio non oblectat, magis faſtidium progignit, neque homines prudentes molem et formam libellorum reſpicere, ſed materiam ejusque deductionem nervoſam ac momentorum pondus gravitatemque mirari conſuevere) cauſſam Imperii defendi, *Hiſtoriae*, *Juris et Politices* adminiculis conjunctis. Diplomata, quae Appendix exhibet, quidem jam innotuerunt, cum *Auctor Diſſertationis de Jure Imp. in M. E. D.* produxerit. Nihilominus non incongruum exiſtimavi, ſi huic quoque ſcripto adnecterem, quo *Lector Benivolus* cuncta in conſpectu quaſi habere poſſit ac cognitionem rei ex ipſomet fonte derivare. Quare etiam *Commentatio*, quam confutavi, adjecta fuit. Arbitror quidem, plura adhuc documenta, quae Imperii facultatem juverint, in Archivis paſſim Italicis inprimis latere. Sed divulgare omnia non opus eſt, cum praeſentia prorſus ſufficiant, inter quae Decretum Carolinum et Diploma Maximiliani II. antea non editum, tam perſpicue ſubordinationem Florentinam evincunt, ut ſuprematus cujusdam defenſio mirificam temeritatem coarguere merito cenſeatur. Ceterum, antequam haec allocutio finiatur, commonere liceat, plurimum juri Imperiali in ditiones Italicas detrimenti hucusque conciliaſſe et ſuperbientem ſpiritum Italis inſtillaſſe, quod Germani Scriptores, cum de Juribus Publicis commentati, Italicarum rerum ferme obliti, quaſi iſtud

Regnum

Regnum prorſus ſeparatum et tantum ſpecie foederis inaequalis Germaniae connexum eſſet, vel vinculum priſcum prorſus ſolutum. Annon igitur referret publicae rei, res omnes Italicas probe erui ac Compendio quodam publice exhiberi? Prodiere hactenus tot Compendia Juris Publici Romano-Germanici, ut ſcientia haecce eximie fuerit exculta, inſigni publicae rei commodo, ita, ut exteri parum amplius lucri ex ignorantia Teutonum in tractandis negotiis publicis, quam imprimis Galli olim objecerunt, ſint collecturi, cauſſam potius habentes, cur ſibi metuant, ne aliquando Imperium ditiones, injuſte ademtas, in quas Viri eruditi facultatem integram egregiis rerum monimentis docuere, vindicet ac majeſtatem fortius tueatur. Quidni ergo *Jus Publicum Regni Italici* conſcribendum, quod, *Schematis* conceptus idoneus ſi efformandus ſit, ſingularem Regionum, in primis Auguſtae Gentis Auſtriae dominationi obnoxiarum, contineret deſcriptionem, de Origine nexus, quo illud Imperio colligari coepit, forma et effectu differeret, itemque natales Territorialis Poteſtatis ac veram indolem juraque Regalia exprometet, Reſervata Regis, Vicariatum, Statum Eccleſiaſticum, Jus circa Comitia, Foedera, Succeſſiones etc. explicaret, tandem de Oneribus, ſubditos gubernandi norma, Nobilitate, Civitatibus immediatis, Judiciis, Ratione Status ſingillatimque modis nexum conſervandi etc. perhiberet? Plane hac ratione efficeretur, ut, certis et ſolidis fundamentis jactis, cauſſae Italicae exactius dijudicari poſſent, juraque Imperii declarari atque majore fiducia ex-

)()()(3 erce.

erceri. Quamvis ergo plura ſubſidia et inſignem induſtriam ejusmodi ſcriptio praerequirere videatur, tamen incommoda quaevis a propoſito non debent abſterrere, cum ſperem fore, ut Viri eruditi, inſigni Publici Juris aliisque ſcientiis imbuti ac ultra vulgares tractationes et otioſas ſapientes, ſcrinia ſua lubenter conferant atque confectionem ejusmodi utiliſſimi operis ſtudio probante ac favente adjuvent adeoque ubivis ſibimet inſignem gloriae portionem adquirant. Imprimis autem Diplomatum indefeſſa conquiſitione res indiget, qua feliciter peracta ac Annalibus probe conſultis Jurisque Publici Germanici ſobria cognitione etc. in auxilium convocata, Commentatio mox eam, quam decet, formam induta prodibit. Haec igitur erant, *Lector Benivole*, quae commonere hic volui, perquam officioſe rogans, ut operam adhibitam aequi bonique conſulas ac in poſterum quoque conatibus faveas. Si quid diſpliceat, facile ignoſces, quum nunquam liber quidam prodierit, omnium errorum, vel vitiorum expers. Si autem melius aliquid produxeris, haud invidebo, neque ira implebor, cum forte quidpiam correxeris, aut emendaveris, de modeſtia Tua, candore et benevolentia minime dubitans, cui me totum enixe commendo, mutuam officiorum ſpondens teſtationem. Dab. Vindobonae d. XII. Octob. A, MDCC XXII.

I. Com-

I.

COmmentatio quaedam, Gallico idiomate concinnata et inſignita titulo: MEMOIRE SUR LA LIBERTE DE L'ETAT DE FLORENCE; quum prodierit noviſſime, qua ſuprematus Magni Hetruriae Ducatus defenditur perfectaque libertas et a S.R. Imperii clientela immunitas; operae pretium viſum fuit pauliſper diſpicere, an argumentis idem idoneis peractum. Enim vero, quantum, hoc inprimis aevo, Sacrae Caeſareae Majeſtatis et Imperii Romano-Germanici referat, eam in rem diligenter inquiri, neque jura, tam egregie olim parta, temerario ſcriptorum auſu aliisque modis, ſupprimi, quilibet negotiorum gnarus facile intelliget.

II.

Antequam vero argumenta *ſcriptionis*, pro evincendo ſuprematu Florentino compoſitae, expendantur, principio moneatur, par eſt, jura Imperii in

regnum Italiae et praecipue ditiones, regni olim Longobardici nomine comprehenſas, minus ex ſcriptoribus recentioris aevi dijudicanda eſſe, potius idoneis diplomatibus ac Hiſtoricis genuinis atque coaevis. Maximum ſane falluntur ii, qui, cum de his juribus commententur, vel ad veteres JCtos, Bartolum, Baldum aliosque Hiſtoriae, et Juris Publici prorſus ferme ignaros provocant, vel eorum etiam teſtimonia tuendae ſententiae adferunt, qui, conſilia ut exhiberent, efflagitati, voluntati conſulentium plus dedere, quam veritati. Quod quidem ut plurimum contigiſſe hinc elicitur, cum diverſorum conſulentium tam variae de eadem lite proditae fuerint opiniones, imo unus idemque JCtus, ab utraque forſan litigantium parte conſultus, pretio, vel honorario, aut, ſi mavis, mercede accepta, mox affirmativam, mox negativam ſententiam amplexus.

III.

Praecipue autem ſcriptores, alioquin egregii, iſtius non exigui erroris coarguendi ſunt, quod, cum jura Germanici Imperii in regiones Italiae explicent, Italorum Hiſtoricorum narratione nitantur, cujus juxta normam rem probe definiri arbitrantur. Plane mirandum eſt, cur iidem ignoraverint, pleroſque eorum iſtud inprimis, aut nimio patriae amore, aut Nationis Germanicae odio ductos, egiſſe, ut, jura hujus vel expreſſa remiſſione, vel praeſcriptione dudum extincta eſſe, animis hominum veluti insererent. Inde quidam non erubuere, Ducibus ac Principibus Ita-

Italiae, generatim conſideratis, ſupremam et quae a nemine pendeat, poteſtatem adſignare, propria auctoritate veluti de ſupremis Imperii juribus judicium ſibi adrogaturi. Ipſos enim Duces, praeter Magnum nunc Hetruriae Ducem, ſupremarum talem palam ſibi vindicaſſe, unquam non liquet, nec conſtat, illos ipſos auctores, ut tot monſtra dogmatum proferrent, commoviſſe, vel eorum ſententias ſua voluntate aperta comprobaſſe. Quemadmodum nec Principes Germaniae, territorii Imperii Romano - Germanici principalis, cum Italiae regnum tantum extet acceſſorium, *Coccej. Jurispr. Publ. C. II, §. 2. VI. §. 1.* majeſtatem quandam vel ſuprematum, ſenſu proprio acceptum, aliquando diſerte adfectarunt; quae tamen omnia a variis Juris Publici Doctoribus proprio iterum privatoque, vel, ſi mavis, academico, ne dicas ſcholaſtico auſu illis adſcribuntur, quos ideo verae politicae, hiſtoriae ac jurium publicorum rationes turbare, ſincere cenſuit *Ludevvig. Germ. Princip. L. III. c. 4. §. 23. p. m. 180.*

IV.

Ad numerum auctorum ejusmodi Italorum praecipue referendus eſt *Ludovicus Rudolphinus de Sabloneta,* qui librum exaravit *de Origine, dignitate et poteſtate Ducum Italiae.* Enim vero hic rationes tam incongruas produxit, ut diſcuſſionem quandam promereri minus videantur, judicio optimo *Itteri de Feud. Imp. C. XIX. §. 19. p. m. 861.* Argumenta fere conveniunt quoque illi, quod *Benjamin Priolus*, Venetus, ut Ve-

 netae

netae Reipublicae facultatem praecedendi Electores S. R. I. adſereret, conſignavit *L. X. Hiſt. C. 3.* ajens: *Venetos tot ſeculorum firmitate gaudentes ſemper ſui juris, vix Deum ſupremum agnoſcere: Electores Imperatoris quidem creatores ſtatim creato inſervire.* Atque iſtum *Rudolphinum* alii incaute ſecuti, nec *Arthurus Duck.* Anglus, partes Italorum hic deſeruit, qui *L. II de Auctor. Jur. Civ. C. 3. §. 16* omnes Italiae Principes in dominiis ſuis omnem Imperatorum poteſtatem excuſſiſſe, imperite contendit. Quos adeo cunctos ſcientiae et candoris hucusque gloria ſuperaſſe videtur *Joh. Bodinus*, Gallus, reliqua Imperii juribus valde adverſus, qui, excepta Venetorum Republica, Principes Italiae a clientelis haud exſtare liberos, merito putat atque diſtincte oſtendit *L. I. de Republ. C. 9. n. 122. & 125.*

V.

Praecipuum, quo auctores, Italicis Principibus ſupremarum ac plenam libertatem tribuentes, ſuffulti, argumentum accerſunt a liberalitate Caeſarum Germanicorum, **Rudolphi I ac Caroli IV, quos, pecunia accepta, privilegia perfectae exemtionis ab obſequio** et ſubjectione Imperii indulſiſſe, memorant. Ergo ii ipſi confiteri videntur, ante Rudolphum I. Italiam ac ejus Proceres Imperio paruiſſe. Jam vero ſolide demonſtravit contrarium *Conringius de Fin. Imper. C. XXIII. §. 3. ſeqq.* ubi inprimis *Sigonium* reprehendit, qui, cum antea jura Imperii Germanici in regnum Italiae eximie, fide diplomatum, uti teſtatur ipſemet *Praefat.* adhibita, delineaſſet, nunc operi ſuo, de

Regno

Regno Italiae adornato, colophonem impoſiturus, commentum addidit, non diplomatis cujusdam, ſed inani quorundam Hiſtoricorum recentiorum narratione innixus. Plane ſola ſcriptorum hic diſſenſio commentum prodit, cum quidam, Florentinos 26000 coronatis, apud *Klockium de Contribut. C. IV. n. 32.* alii 12 aureorum millibus, apud *Duckium de Auctor. Jur. Civil. L. II. C. 3.* nonnulli, 6000 aut 7000 ducatis, apud *Golnizium L. II. Compend. Geograph. p. 236.* tandem alii, *Bodinum L. I. de Republ. C. 9. n. 123* ſequuti, ſex florenorum millibus libertatem redemiſſe, memorent. Dein ipſe *Bodinus* commonuit quam optime, jura Majeſtatis Imperii Germanici venalia non eſſe, nec, ſi eſſent, ab Imperatoribus ſine Principum Germanicorum conſenſione diſtrahi potuiſſe.

VI.

Sabaudiae Ducem vaſallis Imperii merito accenſeri, dudum obſervatum fuit viris doctis, quicquid obſtrepant plures Sabaudici JCti, qui Duci ſuo majeſtatem quandam adſcribere non verentur, apud *Klockium de Contribut. C. VI. n. 237.* Iſtorum ſane conatus ipſamet pridem repreſſit genuina Ducis, Caroli Emanuelis, confeſſio, quae continetur literis, ad Imperatorem Mathiam perſcriptis, apud *Carpzovium de Leg. Reg. C. VII. Sect. 7. n 12. ſeq.* quibus ſe *ſacri Imperii Principem* SUBDITUM *vaſallumque, qui ſuas majorumque ſuorum ditiones Imperatorum liberalitati acceptas ferat*, exſtare, libenter agnovit. Ac jus Vicariatus, quod Sabaudiae Dux adhuc hodie exercet, cum

vaſallagio ſat arcte conjunctum eſt. Conf. *Rec. Imp. de A. 1541. §. 6.* ibi: des Heiligen Reichs Fürſt und Lehnmann; it. *Rec. Imp. de A. 1544. in princip.* Add. *Klock. de Contrib. C. IV. n. 239. ſeq. Kipping. Method. Jur. Publ. in fine*, ubi matriculam de A. 1654. profert, cui Sabaudus quoque inſertus. Conf. item *Inſtrum. Pac. Monaſt. §. 95.* ubi verba: *inveſtitura* ANTIQUORUM *feudorum et ſtatuum, qualem inclytae memoriae Ferdinandus II Duci Sabaudiae, Victori Amadeo, conceſſerunt*, inveſtituram de ipſo Sabaudiae Ducatu innuere merito exiſtimantur. Nam, Ferdinandum II de eo Ducatu inveſtiiſſe, *Acta publica* ſat comprobant. Qualem etiam inveſtituram Ducem Sabaudiae a Leopoldo, glorioſ. memor. Imperatore, petiiſſe ac impetraſſe, animadvertit *Henniges ad Beckeri Jur. Publ. L. I. C. 2. p. 50.* De Ducatu Mediolani, Imperii feudo, loquitur *Rec. Imp de A. 1542. §. 3.* ibi: Mediolanum des Kayſers und des Heiligen Reichs Eigenthum. Conf. *Theatr. Europ. ad A. 1621.* ubi, Regem Hiſpaniae de iſto Ducatu a Caeſare fuiſſe inveſtitum, perhibetur. Quaenam Imperio in Ducatus Parmae et Placentiae, quae quidem civitates dudum membra Ducatus Mediolanenſis, late tunc protenſi, conſtituerunt, competant jura, colligitur ex literis Caroli V Imperatoris, ad Clementem VII Papam, apud *Conringium de Fin. Imp. C. XX. §. 18.* Neque alia ratione ii Ducatus in clientelam Pontificis, annuente Caeſare, conceſſerunt, quam ſalvo utique Imperii dominio directo, eodemque vetuſtiſſimo et ſupremo. Conf. *Thuan. Hiſt. L. IV.* Ac non immerito quis judicarit, dominii directi *ſupremi*, quod Imperio adſeritur, ac dominii directi *ſubordinati*, Pontifici Max. quae-

ſiti,

Digitized by Google

ſiti, genera quod ad unum idemque feudum probe invicem conſiſtere poſſe, ita tamen, ut ea utrumque genus intercedat diſparitas, ut, familia vaſalli exſtincta maſcula, clientela redeat ad Imperium, quod illam primario e bonis ſuis, bello juſtiſſimo, vel ſpontanea deditione partis, alii conceſſit atque proin potius jus pridem nactum fuit, *ſubordinatione* cujusdam dominii directi nequaquam ademtum; e contra, quamdiu familia vaſallorum adhuc ſuperſtes, haec, ne *ſubordinatio* omni deſtituatur effectu, dominio directo ſecundario onera clientelaria, ut plurimum praeſtationem certae pecuniae quantitatis involventia, praeſtet, quemadmodum quoque Farneſii Duces quotannis tale quid exhibent. Vid. *Sprenger. Roma Nov. L. V. C. 8. pag. 183.* Quam tamen praeſtationem nil prohibere, itidem cenſetur, quo minus et Imperio, tempore magnae neceſſitatis, ab ejusmodi vaſallis ſit ſubveniendum. Duces Mutinae et Rhegii, itidem Mirandulae et alios Italiae Principes vinculo clientelari Imperii obſtrictos eſſe, ſat compertum eſt. Vid. *Etrop. apud Schardium T. I. Rer. Germ. p. 341.* ubi de conceſſione Caroli V Caeſaris, clientelari. Huc collineat teſtimonium, omni majus exceptione, Maximiliani I. Imperatoris, apud *Goldaſt.* in denen Reichs-Handlungen *p. 94.* Add. *Conring. de Fin. Imp. C. XXIII. §. 22. et 29.* Auctor de *Princip. Ital. in Opuſcul. Elzevir. p. 30. et 239.*

VII.

Poſtquam nunc, pro inſtituti modo, evictum fuit, quanta Imperii jura in Italiae territoria emineant, nul-

la

la praeſcriptione, vel exemtione, quae non praeſumitur, ſed facti, ac legitima, minus tumultuaria et imaginaria ratione demonſtranda eſt, ſublata, merito quis quaeſierit, cur Magnum Etruriae Ducatum pro independente et libero, ut loquuntur, ſolum habere velint. Si alii, potentia et opibus non inferiores, Italiae Proceres, obſequia ſe et fidem S. R. Imperio debere, haud negent, potius ultro profiteantur ac publicis rerum documentis teſtentur, quomodo eandem obligationem, quam ſummi olim reges ambierunt, ſaltem minus detrectari, jure poſſit declinare Magnus Florentiae Dux, cujus quidem majores tantis beneficiis ornavere Carolus V et alii Caeſares, quieta Florentini Ducatus poſſeſſione, non ſine incommodo, ad ipſos gratia ſingulari translata? Sed ajunt, Florentiae aliam ſemper conditionem extitiſſe, eamque diſparem a forma reliquarum Italiae civitatum, Carolum V mediatoris ſaltem, vel arbitri vices obiiſſe, ac plura alia proferunt, quibus ſuprematum illi evinci poſſe opinantur. Utrum vero evictus fuerit, propius jam, fas eſt, diſpiciatur.

VIII.

Primum in *tractatu*, qui jam diſcutiendus eſt, productum *p. 2.* argumentum, eo redire videtur, quod Reſpublica Florentinorum ſemper perfecta polluerit libertate, propriis legibus et magiſtratibus gubernata, qui, a populo delecti, nulla alia ſuperioris cujusdam indiguerint confirmatione. Cui rei probandae adferuntur varii auctores, de libertate populi Florentini teſtantes. Aſt fatendum eſt, nil terrere cumulum ſcriptorum,

ptorum, vel horum verba, quibus iſtam libertatem extollunt. Potius ex annalibus, fide digniſſimis, patet, Florentiae ac Piſarum civitates partem omnino illius regni conſtituiſſe ſemper, quod, Longobardis, plurium etiam Italiae urbium conditoribus primis, aut reſtauratoribus, ſuppreſſis, ad Francos migravit, poſthaec egregia Ottonis M. Imperatoris virtute, Germaniae perpetuo jure coaluit. Ita enim *Sigonius de Regn. Ital. L. VII. poſt A. 973. Ab hoc tempore* (Ottonis I) *qui Rex Germaniae fuit, idem etiam regnum Italiae et Occidentale Imperium tenuit, ac propterea tres coronas accepit.* Plane Florentiae urbem, a Romanis jam conditam, ſed a Totila, Gothorum rege, dirutam, Carolum M. inſtauraſſe, memorat *Sigon. cit. loc. L. IV. ad A. 787.* Neque, quamdiu Franci et Carolingi Italiam rexerunt, ullum Florentinae libertatis apparet veſtigium. Deinde, quum Otto M. regnum Italiae jure victoriae capeſſeret, omnis Italia, praeter Calabriae et Apuliae regiones, Byzantinorum Imperatori adhuc ſubditas, eidem paruit ac Romani nutum Imperatoris reſpexit, quemadmodum loquitur idem *Sigon. L. VII. poſt A. 973.* Atque idem Otto M. *Miſſos* ſuos vel *Nuntios* provinciis praefecit, qui jura redderent et populos in obſequio regio continerent.

IX.

Equidem lubenter conceditur, Florentiam non a magiſtratibus, a rege conſtitutis immediate, fuiſſe gubernatam, potius a conſulibus, a populo pro arbitrio electis. Sed ea non fuit ſolius Florentiae civitatis

tatis felicitas. Magis omnes ad reliquas Longobardiae ac Tuſciae urbes haec formula fuit producta, adeo, ut iisdem egregia quaedam libertatis ſpecies concederetur. Neque iſta conceſſio jus regium abſorbuit, vel oppreſſit. Quamvis civitatibus Italiae, ut proprio jure et magiſtratu uterentur, fuerit permiſſum, tamen, ſacramentum fidelitatis et obedientiae, cujus formulam recenſet *Sigonius L. VII. poſt A. 973. f. 176.* ut praeſtarent ſaepius, fuerunt adſtrictae. Itidem conſules eorum ac magiſtratus juramentum vel apud Epiſcopum civitatis, vel apud nuncium Regis edidere: unde patet, *confirmatione* veluti aliqua omnino conſtitutionem ejusmodi conſulum indiguiſſe, nec hoſce ſoli populo, qui elegerat, rationes geſti officii reddere debuiſſe. Quem in modum explicandus eſt *Otto Friſingenſis*, ſcriptor celebris et Friderici I Caeſaris, ſtrenui jurium Imperii in Italiam defenſoris aſſertorisque, coaevus, cum de hoc inſtituto ſic diſſerit: *in civitatum inſtitutione, ac reip. conſervatione antiquorum Romanorum ſolertiam ita imitati Lombardi ſunt, ut imperii inſolentiam fugientes c.nſulum potius, quam poteſtatum regi voluerint arbitrio.* Hanc vero libertatem civitatum, regiae poteſtati veluti *ſubordinatam*, demum ob ſingulares rationes, introduxiſſe Ottonem M. ſat patet. Nam aevo Carolingorum, ipſi comites et judices a regibus immediate conſtituti, in civitatibus juris dicundi facultatem, jure ac nomine regio exercuerunt, etiam Florentiae ac Piſis, utputa quas civitates tum jam a propriis conſulibus fuiſſe adminiſtratas nullibi apparet, et proin ab eo, qui contrariam ſententiam ample-

plectitur, magis probandum eſt. Ita enim *Sigonius L. IV. poſt A. 776. Comitibus*, ait, *ſingulas civitates adminiſtrandas dedit.*

X.

Licet autem defunctis Ottone M. ejusdemque poſteris, aevo inprimis Henrici IV Caeſaris ejusdemque filii, Henrici V, civitates Italiae plurimas opes contraxerint, cui rei diſſenſionem Imperii ac Sacerdotii materiam praebuiſſe, recte monet *Sigonius de R. I. L. X.* poſt *A. 1106.* tamen omne regis obſequium minus exuerunt, neque adeo liberae prorſus effectae ſunt. Si quid tum a regia poteſtate decerptum et jus fiſci aliquid ipſis adſcriptum, ea cuncta ad uſurpationem frivolam pertinuere, quam probe intelligens dein Fridericus I Caeſar, regalium uſum merito iterum civitatibus extorſit, ac *jure poſtliminii* veluti recuperavit. Quam rem declarat iterum candide *Sigonius L. XII. poſt A. 1159.* ibi: *ArchiEpiſcopus et conſules Mediolanenſes partum in civitates imperium atque Epiſcopi principes et civitates* OMNES, *regalia* OMNIA *dimiſerunt.* Neque exemta deprehenditur Florentiae civitas, utpote a qua Fridericus I *fodrum* et alia itidem exegit. Huc collineant verba *Sigonii cit. l. f. 303. Nuncios in* TUSCIAM *et Campaniam ad fodrum regium colligendum et principes ad creandos in urbibus conſules alium alio deſtinavit &c.* Quemadmodum etiam, cum idem Fridericus, Caeſar, pacem Conſtantiae, quam exhibet *Sigonius de R. I. L. XIV. poſt A. 1183.* cum civitatibus Italiae ſanciviſſet, memorantur diſerte ibidem *Genua*, *Alba*, et

ALIAE *civitates et loca et perſonae; quae ſunt et fuerunt in parte noſtra.* (Caeſaris.) Hic non obſcure innuuntur Florentia et Piſae, quas tum reliquis urbibus, adverſus Imperatorem turbas excitantibus, junxiſſe ſemet, vel Caeſari reſtitiſſe, aut nocuiſſe palam, ex annalibus vix liquet. Ubi quoque obſervatu digniſſimum eſt, labi denuo ſcriptores Italos, qui exiſtimant, foedus iſta pace Conſtantiae cum Imperatore veluti fuiſſe celebratum; unde conſequatur, Imperium in ejusmodi urbes foederatas, juxta naturam foederum, ſupremam poteſtatem, vel dominii ſpeciem fruſtra ſibi adrogare. Vox: *Civitatibus foederatis*, quae deprehenditur apud *Sigonium f. 338.* capienda eſt de foedere, inter ipſas civitates inito, quo aptius regiae poteſtati valerent unitas objicere vires, uti contextus univerſus perſpicue docet. Praeterea iſta pax non innititur conventione, inter Caeſarem et iſtas civitates, tanquam liberas, utputa tantum juris foederum capaces, facta, potius reconciliationem ſubditorum rebellium palam oſtendit. Nam id plures formulae, tabulis pacis inſertae, evincunt, ibi: *in ſubditis diſpenſationem, exceſſuum delicta corrigere piis affectibus miſericordia: it. rebellium inſolentiam ad debitam fidem et debitae donationis obſequium revocare &c.* Unde ſat conſtet, abolitionem hic criminis laeſae majeſtatis fuiſſe ſuſceptam. Ac, licet hac Conſtantiae pace regalia et privilegia quaedam vetera confirmentur, nova quoque concedantur, nihilominus ea, quae ad ſummum imperium et integram libertatem pertinent, haud fuere indulta. Potius omne id factum eſſe cenſeri debet, integra poteſtate ſuperiori. Neque adeo ſuperioritas territorii,

 quae

quae tum ſenſim, liberalitate Caeſarum, inteſtinis Germaniae motibus et Pontificum Romanorum fulminibus ſaepius extorta, cauſſam ſuggerente, in oris Italiae emerſit, a Teutonica hactenus diſſidet, ſicubi nexus clientelaris et ſubdititius, cui utraque implicita, conſideretur.

XI.

Igitur haud apparet, qua ratione fides ſit tribuenda *Paulo de Caſtro*, pro ſententia adverſa militanti, utpute qui aſſertionem ſuam nullibi probat. Ac, cum is auctor Italus et *Conſulentium* claſſe conſtitutus reperiatur, facilius adhuc cognoſcitur, quam merito iſtius teſtimonio repudium mittatur. Interea lubenter illi *Paulo* conceditur, Florentinos quondam *de facto* (de quo tamen hic non diſquiritur, magis *de jure*) obediiſſe minus Imperio, cum ſtrenue etiam imitati fuerint ceteros Italiae populos, omni regiae dominationi tum proterve renitentes. Neque terret copia aliorum ſcriptorum, pro libertate Florentina pugnantium, cum ii ipſi ſibi, inconſtanti judicio, contradicant. Nam, dum contendunt, etſi perperam, plurimi quoque Italorum, Florentiae et plures alias civitates Rudolphi I Caeſaris beneficio, libertatem obtinuiſſe, jam tacite videntur confiteri, antehac a jurisdictione Imperii non fuiſſe exemtas. Equidem haud negatur, Florentinos belli gerendi jus exercuiſſe, quemadmodum etiam de Genuenſibus liquet. Conf. *Leonard. Aretinus Hiſt. Florent. paſſim.* Sed id plenam libertatem non illico innuit. Et bella iſta,

quae Florentini cives olim cum Piſanis et reliquis vicinis geſſere, magis diffidationum Teutonicarum ac motuum civilium ſpeciem effecerunt, cum ſufficere videretur, ſi nihil adverſus Imperium perpetrare liceret. Abunde itidem compertum eſt, Florentinos legibus imperialibus uſos fuiſſe, neque proin jus legum ferendarum exercuiſſe, quo deficiente, ſuprematus quidam effingi nequit. Ac, ſi proprias leges coluerint, actum id fuit approbante Caeſare, qui formulam regiminis praeſcripſiſſet. *Vid.* §. *IX.*

XII.

Mirandum autem ſimul eſt, illos ſcriptores aut tam ignaros pro conditione iſtius ſeculi, ubi ſubtilitatibus juris magis quam hiſtoriis eruendis incumbebant, extitiſſe rerum, ſumma laude a Caeſaribus in Italia geſtarum, aut, nimio patriae amore ductos, data opera earum ſcientiam neglexiſſe, vel reticuiſſe, ut ad iſtas et annales genuinos, ſincere delineantes, non reſpexerint prius, quam ſuprematum quendam effingere conati. Enim vero Tuſcia aetate dicitur Friderici II Imp. *Nobile Imperii membrum.* Conf. *Petrus de Vineis L. V. Epiſt. 126.* cujus ſcriptoris coaevi auctoritas et fides ſat explorata eſt, inprimis quum epiſtolae, Imperatoris nomine, ab ipſo Cancellario, fuerint concinnatae. Ex eadem quoque Epiſtola, quae inſcribitur, *Fidelibus ſuis Tuſcis*, colligitur, praeſtita ab ipſis hucusque ſervitia, ibi: *et pro his, quae praeſtare vos expedit.* Jam docendum eſt, exemtum fuiſſe illud nobile Imperii membrum. Doceri autem ex omni Impe-

Imperatorum ſerie non poſſe, Rudolphum nexum haud diſſolviſſe, immo ipſum *Auctorem Scriptionis contrariae* fabulam agnoſcere videri, cum fundamentum hinc intentionis accerſere nolit, partim jam monitum fuit, partim copioſe ſat poſthaec oſtendetur.

XIII.

Inprimis autem, paulo vetuſtiora ſi ſecula reſpiciamus, Henricus VII Imperator, jura imperii in Etruſcos quoque inſigniter propugnavit. Perpendat ſolum, quicunque de re manifeſta ambigit, ſententiam proſcriptionis, ab Henrico VII, tum Piſis commorante et majeſtatem Imperii ubivis graviter defendente, adverſus Robertum, Apuliae Regem, latam, apud *Albertinum Muſſatum Hiſt. Henr. VII. L. XIII. p. 71. Albericum de Roſate in l. 5. C. ad L. Jul. Majeſt. Goldaſtum Tom. un. Conſtit. Imper. p. 321.* ubi verba notatu digniſſima proſtant: *Confoederationes tamen, conſpirationes, uniones et ligas, in offenſam et impedimentum proceſſus Caeſarei una cum Florentinis, Lucanis, Senenſibus et* ALIIS *noſtri Imperii Romani* SUBDITIS *per Lombardiam, et ut eos in* REBELLIONIS *praecipitium excitatos foveat omne contrarium (ſicut expreſſe dignoſcitur) per ſe ſuosque procuratores, nuncios et ambaſſatores, in noſtrae Majeſtatis injuriam et offenſam, et impedimentum proceſſus Caeſarei, facere procuravit et fecit etc.* Igitur *ſubditos* ſuos Florentinos diſerte profitetur ipſe, quicquid libertatis ipſi ante a Rudolpho I obtinuiſſent. Et, quamvis *Albertus Muſſatus* et alii ſcriptores referant, Florentiae civitatem tum elatiorem

rem ſemet geſſiſſe, quod abſentiae Caeſarum, aliis negotiis graviſſimis diſtentorum et jura ſua per vicarios, haud dextre ſemper officio defunctos, adminiſtrantium, alicui et aliis cauſis fuiſſet tribuendum, una tamen narrant, Imperatorem ſat de Florentia ad vetus debitum obſequium redigenda cogitaſſe ac executionem non fuiſſe omiſſam, ni repentinus obitus optima et reipublicae ſalutaria conſilia interpolaſſet. Sic enim ille Auctor *L. XIII. rubr. 7. Hinc ſuppetentibus terreſtri bello viribus* ANXIOS *Florentinos, multosque praeteritis damnis affectos, iterum invadere, exagitare, hinc Lucenſes, veluti in oſtium oppoſitos, moenibus arctare, municipiis, caſtellisque ac coloniis undique exuere, denudare, facileque tunc illi ad alias Tuſcorum urbes* EVINCENDAS *progredi ob idque ſparſas* FIDELIUM *copias Piſas eliceret.* Neque *Cortuſii de Novit. Paduae L. I. C. 21.* hac de re ſilent, ajentes: *Imperator* (Henricus VII) *obſedit Florentiam, et Florentini latuerunt intra Spaldos* etc. Dein narrat quoque *Conrad. Vecerius Vit. Henr. VII*, qua ratione rebelles compeſcere et fidei admonere annisus fuerit Imperator. *Poſtquam Caeſar Piſas acceſſit* LEGIBUS *cohercere hoſtes aggreſſus, quos bello perſequutus fuerat, et aſperrima* EDICTA IN TUSCOS *Roberti partium promulgavit, et ſuos invicem* CLIENTES *pulchris beneficiis devinctiores effecit.* Jam vero talis coërcitio legalis praeſtruit poteſtatem ac juſtam, quae ipſi reſpondeat, ſubjectionem, neque a Caeſare, ſi Florentini et alii plena in libertate conſtituti, ſuſcipi jure potuiſſet. Praeterea, cum Piſani, eadem olim dignitate et potentia, qua Florentini tantiſper ſuperbierunt, inprimis

ma-

maritima, conſpicui, ipſomet teſte *Aretino Hiſt. Florent. L. I. f. 18. et paſſim*, in fide perſtiterint ac Caeſarem, tanquam et vaſalli, juverint, pariter ac de Januenſibus memorat *Muſſatus allegat. loc.* unde FIDELIUM elogium prorſus meruere; non apparet, cur, Florentinis tum ſingularem immunitatem et ſupremam libertatem fuiſſe partam eosque pinguioris conditionis reliquis prae civibus Italiae exſtitiſſe, cenſeatur. Ex quibus nunc quoque colligitur, falli *Bodinum*, qui, cum de Rudolpho I narraſſet, addit: *Lucenſes ac Senenſes eadem libertate donati ſunt, cum Henrico V* (potius VII) *Caeſari pretium libertatis, hi decem, illi duodecim florenorum millibus ſolviſſent.* Enimvero hujus rei nullus coaevus ſcriptor injicit mentionem. Et jam Lucenſibus libertatem a Rudolpho I indultam, iſthoc pretio ſoluto, referunt *Blondus*, *Platina*, *Sabellicus*, *Crantzius*, *Cuſpinianus* et alii recentiores, quorum opinio ſupra jam rejecta *§. V.*

XIV.

Florentinorum libertatem, ſi juris rationem ſpectes et facultatem formandi regiminis, quam indultam demum Rudolphi I aevo plures arbitrantur, non magis eminuiſſe, quam Pataviensium, apparet ex eodem *Albertino Muſſato in Vit. Henr. VII. L. III p. 14. 15.* Nam ibi memoratur, Henricum VII, certa pecuniae quantitate accepta, libertatem indulſiſſe Pataviensibus, Vicario quoque conſtituto, jura Imperialia obſervaturo, ac ſimul de poteſtate ſua in Florentiam teſtatum fuiſſe, utputa quae etiam Vicarium

C reci-

recipere debeat. Vid. *id. Muſſatus L. XV. p. 79.* Certe, eundem Henricum Florentinos, cum Vicarium admittere nollent, omnibus privilegiis indignos, ob rebellionem, publica proſcriptionis ſententia declaraſſe, narrat ipſe *Ammirat. in Hiſt. Florent. p. 257. ſeq.* ajens: *in Piſa diede contra loro ſentenza di ribellione, privando per queſto la città d' ogni* GIURIDIZIONE E SORTE DI HONORI, *e condannando il commune in cento mila marche d' argento. Tolſegli la podeſtà di batter moneta, coſi d'oro comed' argento, molti ſuoi particolari cittadini, di quelli, che haveano in mano il governo, condannò, nell' havere, e nella perſona.* Add. *Muſſat. L. I. p. 4. L. XIV. p. 78. Nicolaus Epiſcopus Botrontinenſis*, ſcriptor coaevus ac fide digniſſimus, in *Relat. de Itin. Ital. Henr. VII. Imp.* ad Clementem V Papam, *Baluzii Vitis Papar. Avenionenſ.* ſubjunctus *T. II. p. 1147. Raphael Volaterran. L. XXIII. p. 879. Leibnit. in Cod. Diplomat. Mantiſſ. p. 257.*

XV.

Ludovicum IV Caſtrucio pluria Vicarii officia in urbes Hetruriae, utputa Piſas, Lucam, Piſtorium etc. itemque dignitatem Ducalem conceſſiſſe, teſtantur diplomata apud *Freher. in Script. Rer. Germ. edit. Struv. p. 665. ſeqq et Meibom. Tom. III. Rer. Germ. f. 209.* Quorum documentorum verba prorſus egregia ſunt et praegnantibus formulis jus Imperii in omnes iſtas civitates ſervant. Jam a partibus ad totum probe concluditur et merito exiſtimatur, Florentiae quoque civitatem a Ludovico ſemper ad urbes

bes Imperiales Hetruriae fuiſſe relatam, utputa qui Florentinos, Vicarium recipere renuentes, inſtar rebellium habuit ac Caſtrucium ad opprimendos eos miſit, ipſo commemorante *Machiavello*, qui *vitam Caſtrucii* expoſuit, ipſius *Hiſtoriae Florentinae* adjectam. Si reliquae potentes quoque Hetruriae civitates Imperatorem pro domino lubenter agnoverunt, cur inde exceperis Florentiam, cujus exceptio ſingularis non praeſumitur ac proin ab adverſariis melius probanda eſt, cum ineptis fictionibus et allegatione Scholaſticorum quorundam Teutones a juribus ſuis non ſoleant propugnandis abſterreri.

XVI.

Regnante Carolo IV, jura Imperii in Italiam minus neglecta. Potius Caeſari, in terra Mediolanenſi commoranti, civitates et Marchiones ac Vice-Comites Lombardiae, legatis miſſis, dona more ſolito, et auxilia obtulere, fidem ſuam teſtaturi. Vid. *Cortuſii de Novit. Paduae L. XI. C 1. et 2.* Poſthaec Piſani cives et Senenſes claves portarum ſponte exhibuere; unde iterum certiſſimum ſubjectionis elicitur argumentum. Caeſar, Piſis pauliſper verſatus, Senas ſeſe contulit, Vicario ibidem conſtituto. *Cortus. alleg. loc. C. 3.* Add. *Albert. Argent. Chron p. 163.* Immo Florentia plura exhibuit munera. *Cortus. cit. loc. C. 4.* Quo ſat profeſſa eſt, Caeſari jus quoddam in civitatem competere. Ejusmodi enim donationes, Imperatoribus, Italiam prima vice intrantibus, praeberi ſolitae, haud ex libera voluntate dantium manarunt, po-

Digitized by Google

tius jure exactae, cum ea ratione veluti declaratio et renovatio fidei et ſubjectionis, novo Caeſari ac Regi debitae, perficeretur ac talis quoque praeſtatio contributionum genus aliquod ſiſteret, quibus Caeſares utebantur una ad coronationum et aliarum expeditionum Italicarum negotia commodius peragenda. Nam, quamvis ſubſidia Teutonica, iſti rei tractandae deſtinata, ſuppeterent, tamen par erat, ut ad Italos ejusmodi onera tranſirent, quos e contrario Caeſares adverſus exteras gentes inimicas ac incommoda reliqua ſtrenue tuerentur, prouti Principes ſummos decet. Adeo congruit ille Italici Regni mos conſuetudini Germanici Imperii, ubi Caeſari, recentius electo et coronato, ſi civitates Imperii pergrediatur, claves itidem portarum a ſenatu offeruntur ac dona quaedam in ſignum ſubmiſſae venerationis et ſubjectionis exhibentur. Diſtincte autem univerſam rem enarrat *Scipio Ammiratus*, ſcriptor Florentinus optimus, cum in *Hiſt. Florent. L. XI. p. 570. ſeq.* de abſolutione a banno, quo ab Henrico VII. perculſi fuerant Florentini, et ſolutione ingentis penſionis tributariae commentatur, ſummiſſionem praeſertim illorum hiſce verbis deſignans: *Profeſſono ſe, e il loro commune liberamente à Ceſare come à loro SOVRANO SIGNORE e PADRONE.* Tenorem compoſitionis integrum, A. 1355 initae, ex *Ammirato* depromtum, vid. in *App. Docum. ſub A.* Quis igitur mirabitur ſtatis temeritatem (ne dicam inſcitiam) illius, qui pro ſuprematu Tuſciae militat, ex ipſis autem domeſticis ſcriptoribus confutatur, inter quos huc etiam revocandus eſt *Aretinus Hiſt. Florent. L. IIX. f. 164. ſeq.* diſerte ajens: *ad Carolum*

lum Piſis degentem Florentinos Oratores miſiſſe. Id vero Florentinos, Caeſaris reverendi cauſa, peregiſſe, nec ipſe diffitetur *Aretinus*, dum inquit: *Senenſes quidem in rebus agitandis longe ſe* MAGIS *Carolo permittere viſi ſunt.* it. *ut multo* MAGIS *ſeſe Carolo vindicarent.* Animadverſione amplius dignum videtur, quod idem ſcriptor de lite Aretinorum, qui Florentinis foedere conjuncti, coram Caeſare, tanquam Judice ſupremo et competente, diſceptata, *ibidem* commentatur, inprimis cum, Aretinorum Legatos, Saconem, Tyrannum, accuſantes, dixiſſe, refert: IMPERII JURA MAJESTATEMQUE *pro turpi mercede minuiſti etc.* Neque aliquem moveant dein verba *Aretini*, cum, *Florentinorum vero Legati*, ait, *poſt multorum dierum diſceptationem, tandem pecuniam dare pacti, cuncta, quae poſtulabant, conſecuti ſunt.* Enim vero diſpiciendum eſt, quid poſtularint. Confirmationem forſan privilegiorum petitam impetrarunt Florentini. Perfectam vero libertatem tum iis a Caeſare pecunia data, indultam, fruſtra exiſtimatur, nec ipſe *Aretinus* jactare audet, utpute qui nec, quid a Caeſare flagitarint, diſerte exponit. Potius recenſet, qua ratione Carolus a Volaterranis et Miniatenſibus; qui a Florentinis antea injuſte ſuppreſſi et ab Imperii jurisdictione, propria auctoritate, quaſi exemti, nunc dominationis Florentinae pertaeſi et ad libertatem, injuria perditam, adſpirantes, paulo ante Imperatori ſeſe ac urbes ſuas tradiderant, fuerit receptus. Amplius perhibet: *ad hunc* (Carolum) *Senis exiſtentem Florentinos pecuniis* EX FIDE *miſſis, contra ſpem ac vota inimicorum praecipua benevolentia in* SINUM *ejus irrepſiſſe, ut nemini*

uni populo per Italiam magis fidere videretur. Et, quum iterum *Aretinus* memoret, Carolum *Florentinis ſociisque cuncta indulſiſſe, quae ad amplitudinem honoremque eorum pertinere videbantur, absque ullo partium reſpectu*; ea omnia capienda ſunt, integro Imperii jure, quod hujusmodi indulgentia non fuit ſuppreſſum, neque ſupprimi potuit.

XVII.

Eundem vero Carolum IV Barnabae Viſconti perpetuum Vicariatum in Mediolanum et Hetruriam contuliſſe, probatur *diplomate* apud *Gervaſium Tilberienſem in Otiis Imp. App. 16. edit. Maderi.* Ac ſingulariter de Vicariatu Piſano, Viſconti commiſſo, conſtat ex *Epiſtolis cit. loc. adjectis p. 98. ſeq.* Dein hic Caeſar A. 1376, a ſcriptore inedito, ſed coaevo et Italo, invitatus fuit ad comprimendos in *Etruria rebelles*, quum exſtet SPONSUS ATQUE NATURALIS DOMINUS ITALIAE. Latet hoc ſcriptum in Bibliotheca Auguſta Vindobonenſi, teſte *Lambecio Bibliothec. L. II. p. 818.* Subjuncta vero iſti libello *Notitia Status Hetruriae p. 821. ſeq* ubi de dominio Imperii et rebellibus contra illud Tuſcis. Amplius ipſe Pontifex, Gregorius XI in epiſtola ad Carolum IV apud *Baluz. Vit. Pap. Avenionens. p. 804.* Florentinos appellat PROPRIOS IMPERII SUBDITOS, omni poena ob ſcelera afficiendos. Neque a paternis veſtigiis hactenus deflectit Wenceslaus Imp. qui omnia Italica, ad Imperium Romanum pertinentia, diligenter per notarium ſuum conſignari

ri juſſit. Extat haec deſignatio apud *Dattium de Pac. Publ. p. 587.* ac maximi pretii non immerito huic Auctori habetur, *p. 579.* cum ſit ſcriptum coaevum, diligenter et publica auctoritate exaratum; unde quoque conſtat de jure in Florentinos adhuc integro, dum Liga, quae Florentiam inter ac alias Tuſciae civitates eo turbulento aevo fuit inita, jus Imperii evellere non potuit, cum rebellio et perfidia nullam exemtionem pariat, Liga quoque ſub Ruperto Caeſare mox fuerit diremta. Neque Wenceslaus, quando Joannem Galeacium Mediolani Ducem creat, juris Imperialis oblitus, cum diſerte in diplomate excepetit *fidelitatem, homagium, obedientiam et ſubjectionem*, apud *Leibnit. Cod. Diplomat. p. 259.* Quapropter falſa exſtant, quae Imperatori in *Tabula Exauctorationis* apud *Goldaſtum T. I. Conſt. Imp. p. 379.* de alienatis in Italia Imperii juribus audacter ſatis objiciuntur.

XVIII.

De Ruperto Imperatore conſtat, iſtum, Florentinis quoque de nimia Galeacii, Mediolani Ducis, potentia conquerentibus, in Italiam ſeſe contuliſſe, jura Imperii defenſurum. Igitur, quum auxilium Caeſaris implorarint tunc Florentini et tributa quoque Ruperto praeſtiterint, ſat apparet, ſubjectos tum jam iſtos fuiſſe Imperio. Vid. *Magn. Chron. Belgic. p. 343. Gobelin. Perſona Coſmodrom. Aet. V. C. 70.* qui Rupertum, memorat, RECEPTUM a *Venetis, Florentinis etc.* Certe hi Florentini Ruperto obſequium perſpicue confirmarunt in literis, quibus, de ipſius electione

ctione certiores redditi, reſpondent, apud *Martenium in Theſauro Novor. Anecdot. p. 1636.* Qui *Martenius* itidem *p. 1662.* tabulas foederis profert, Rupertum inter ac Florentinos initi, ubi hae formulae uſurpantur: *Florentinis Servitoribus* FIDELISSIMIS; it. *favore ſuae* FIDELISSIMAE *civitatis Florentinae etc.* Vid. *App. Docum. ſub B.* Lectu etiam digniſſimum eſt diploma, ab eodem Ruperto A. 1401. Florentinis indultum, ubi toties Florentini *Imperii fideles* SUBDITI appellantur ac varia privilegia confirmantur, hac tamen notabili clauſula addita: *Praeſentes quoque literas, ſive praeſens* PRIVILEGIUM *durare volumus toto tempore vitae noſtrae, et ad* BENEPLACITUM IMPERII, *et donec per Succeſſores noſtros legitime intrantes expreſſe et ſpecialiter fuerit* REVOCATUM. Conf. *App. Docum. ſub C.* Immo Rupertus, in Germaniam reverſurus, Vicariatum Italicum inprimis commiſit Domino de Padua, *teſte Perſona cit. loc.* Et, quamvis eo tempore Florentini Piſas occuparint, aliasque Imperii civitates ſubegerint, recenſente *Cuſpiniano Vit. Imperat. p. 393.* tamen iſta uſurpatio jura Imperii nil potuit imminuere, vel Piſas a jurisdictione ſuprema liberare. Neque acquiſitio majoris potentiae plenam libertatem unquam peperit, praeſertim ſi cum injuria alterius et ſuperioris conjuncta ſit, qui conatum minus approbavit. Nec magnam is paraverit gloriam, qui ex *ſpoliis* ditior evadit. Ac, cum poſſeſſionis initium vitio laboret, difficulter praeſcriptione illud ſanatur. Quae dogmata agnoviſſe videntur Veneti, demiſſa oratione ad Imperatorem, Maximilianum I habita, apud *Guicciardinum*

Digitized by Google

num Hiſt. L. IIX. p. 752. utpute qui, eodem ferme aevo plures Imperii urbes, v. c. Pataviam, nemine prius quaeſito, ſibi ſubjecerant. *Cuſpinian. cit. loc.*

XIX.

Sigismundo, Caeſare, in Italiae oris conſtituto, Florentini, Venetorum tunc ſocii, ab inimicis iſtius excitati, varia, copiis collectis, moliti, tandem inſigni victoria domiti, juſtiſſimam perfidiae poenam A. 1432. ſuſtinuerunt, teſte *Trithemio Chron. Hirsaug. ad dict. Ann.* Add. *Naucler. Vol. II. Gen. 48. p. 1055. Dubravius Hiſt. Regni Bohem. L. XXV. p. 667.* Qui etiam Sigismundus varios in Italia Vicarios Imperii creavit; praeſertim Sabaudiae Ducem, et Mantuanum etiam, tum Marchionem, atque adeo jura Imperii adverſus omnem praeſcriptionem et uſurpationem abunde communivit. Vid. *Naucler. cit. loc. Cuſpinian. Vit. Imperat. p. 397.* Qua veneratione Fridericus IV Caeſar, in Italiam ſuſcipiendae coronae gratia profectus, a Venetis, Bononienſibus, Senenſibus, Florentinis et aliis Imperii ſubditis fuerit elatus, referunt *Aeneas Sylvius Hiſt. Frider. p. 60. Trithem. Chron. Hirſaug. ad A. 1451.* Atque, cum Imperator hic, coronatione Romae peracta, Florentiam reverteretur, iterum UT IMPERATOR ET DOMINUS exceptus eſt; quae ſunt verba ejusdem *Aeneae Sylvii*, ſcriptoris coaevi et graviſſimi, *p. 90. 91.* Ipſi etiam Florentini urbem ſuam vocant CIVITATEM IMPERIO DEVOTAM, teſte itidem *Sylvio, pag. 63.* Quid autem vox: *Devotus*, innuat, infra declarabitur.

D Prae-

Praeterea, quum A. 1454. Comitia Francofurti haberentur, Florentiae ac reliquae Italiae civitates, ut ad ea convenirent, fuerunt ſolemniter convocatae, eadem ratione, qua urbes Germaniae Imperiales. Conf. *Aen. Sylv. Epiſt. 127.* Quin, Venetos Fridericum tunc pro Rege totius Italiae agnoviſſe, memorat *id. Sylvius*, Hiſtoricus αὐτόπτης, *p. 60.* ubi, *Veneti*, inquit, *commendant Italiam* PRINCIPI SUO. Extat Thadei Quirini, Patricii Veneti, Oratio gratulatoria nomine Reipublicae ad Fridericum IV in *Freheri Script. German. Tom. II.*

XX.

Maxima autem quoque gloria jura Imperii in Italiam defendit glorioſiſſim. memor. Imperator Maximilianus I, qui nil acrius egit, quam ut majeſtatem Imperii Romano-Germanici ubique ſartam tectamque ſervaret, jura etiam, uſum quorum continuum temporum injuria et aliae praegnantes cauſſae hucusque impediiſſent, inſigni felicitate et applaudentibus cunctis Imperii membris et ſtatibus, patriae diligentibus, reſtauraret. Principio contendit eo, ut Carolum, Gallorum Regem, injuſtum Italiae ac Neapoleos praeſertim invaſorem, iterum hinc expelleret. Quod repente contigit. Deinde, cum Piſani Florentinorum dominationem dejeciſſent, Senenſes exploderent, narrante *Cominaeo Memoir. L. VII. C. 7. et L. IIX. C. 3.* iſti Caeſaris dominium ultro agnoverunt, qua fide populi, jam dudum cognita et probata, commotus Maximilianus, benigno diplomate indulto, libertatem primaevam, i. e. immunitatem a regi-

regimine Florentinorum firmavit, et immediatam Imperii ſubjectionem, pluribus omnino beneficiis, quibus, praeſertim quoad conſtitutionem proprii juris magiſtratusque et uſum diverſorum regalium, adhuc hodie urbes Teutonicae immediatae laetantur, conjunctam reduxit. Quod inſtitutum aliae civitates et Proceres plurimi Italiae laudarunt, cupiditatem habendi, populo tunc Florentino connatam, minus ignorantes. Quamvis autem paulo poſt Piſani patrocinium urbis ſuae Venetis obtuliſſent, vel potius foedus cum ipſis iniiſſent, omnia haec peracta, integra Imperii facultate, cum nec Veneti ullam unquam jurisdictionem in iſtam civitatem, vel Florentiam itidem ſibi adrogarint, aut debuerint adrogare, ipſi Imperio tunc quodammodo devincti. *P. Heuterus Rer. Auſtr. L. V. C. 5.* cum de virtutis admiratione, qua Itali Maximilianum proſequuti, diſſeruiſſet, exerte adjicit: *Caeſar hac apud Italos innixus fama, ingentia ab iis munera veteraque Imperatoribus a* CIVITATIBUS *conferri ſolita exſpectabat* TRIBUTA *etc.* Atque ejusmodi tributa etiam praeſtitere Florentini. Nam, Maximiliano in Italia commorante, ad ipſum legatos ii miſere, ut obſequium praeſtarent. Quare Imperator *acceptis aureorum quadraginta millibus, beneficia a Rudolpho indulta confirmavit, ut ſcilicet ſuae reipublicae ſtatum gubernare ac regere ſibi* PRECARIO *liceret*, quem in modum diſſerit *Bodinus L. I. de Republ. C. 10. n. 123.* Equidem non immerito dubitatur, an *Bodino* fides ſit adhibenda, quum de Rudolphi donatione narrat, jam pridem exploſa. Ac ipſe *Guicciardinus L. IIX.*

legationis et privilegiorum confirmationis mentionem injicit, nequaquam iſtius imaginariae conceſſionis. Quoad tributorum tamen praeſtationem non apparet, cur *Bodinum* ſuſpectum cenſeamus, utpute qui rerum Italicarum, Gallis itidem ſemet immiſcentibus geſtarum, non mediocrem cognitionem acquirere valuit. Immo ipſe ſat innuit, privilegia a Caeſare confirmata, perfectam libertatem minus continuiſſe, dum voce: PRECARIO, utitur, quae facultatem ſubordinatam et, ob admiſſum crimen, culpam gravem, aut ingratitudinem revocationi obnoxiam, deſignat. Plane, a quocunque Caeſare jus gubernandae ſuae reipublicae et alia commoda adepti fuerint Florentini, nil intereſt, quum compertum ſit et abunde demonſtratum, ſuprematum quendam illis nunquam indultum, quem ſi ſemel legitime conſecuti, cur dein tantam pecuniae quantitatem exſolviſſent, vel confirmationem iſtius rei tam anxie efflagitaſſent? Si quis autem urgeat, iſtam pecuniae praeſtationem, de qua *Bodinus* loquitur, honorarii ſaltem, pro confirmatione ſoluti, inſtar exſtitiſſe, intelliget, illum morem dudum in Italia olim invaluiſſe, ut cum Imperatores beneficiorum renovationem inſtituerint, eo apprime momento civitates, vel Proceres penſionem debuerint exhibere, ut fidem ſuam teſtarentur et obligatio, inter imperantem et ſubditos reciproca, illico exerceretur. Neque fundamento deſtituitur ejusdem *Bodini* opinio, arbitrati, eas pecunias, quae a civitatibus Italiae pro libertate adipiſcenda exactae fuerunt, tributi aut penſionis nomine ſolutas fuiſſe. Enimvero omne Principis benefi-

cium

cium ordinarie gratuitum cenſetur, neque is gratiam vendere. Unde cum ſubditi privilegium nacti, quid praebere debent, minus contractus quidam emtionis illico celebratur, ſed Princeps, ne privilegium gratis conceſſum reliquis civibus aemulationem, vel incommodum pariat, tributi alicujus extraordinarii genus, vi ſuae poteſtatis, tunc privilegiato injungere videtur, quod fiſco aut aerario inlatum jacturam reſarciat. Tandem, ne quid hic praetermittatur, obſervandum eſt, eundem Imperatorem erga Regem Franciae, Ludovicum XII, itidem poteſtatem in Tuſcos abunde declaraſſe; quemadmodum apparet tam ex inſtrumento pacis, Bleſiis initae d. 22. Sept. 1504. *ſub D.* quam *Goldaſti Actis Polit. p. 60. et 64.* ubi libere profeſſus Maximilianus I, Florentiam, Piſas et Senas, Imperio IMMEDIATE ſubjectas eſſe. Ubi non praetereundum, *cit. loco*, qui de comitiis Conſtantienſibus, A. 1507 celebratis, perhibet, Luccae etiam et Genuae injici mentionem, utpura in quas civitates itidem Imperio perpetuum ſuperioritatis jus quaeſitum pridem fuerit. Quemadmodum igitur Genua et Lucca pleno ſuprematu nec hodie fruuntur, cum Imperium jus ſuum nunquam dimiſerit, potius Ferdinandus I et Maximilianus II, Caeſares, in cauſſa Finalienſi jurisdictionem exercuerint graviter, teſte *Irenico ad Burgoldenſ. p. 96. ſeqq.* et adhuc dum literae Imperiales, ad iſtas civitates quandoque perſcriptae, ipſas, inprimis Luccam, Liberas S. R. I. compellent, *Conring. de Fin. Imp. C. XXIII. §. 30. 31.* immo Luccae in proceſſione ſolemni *Gonfalonieri* ſeu ducis et capitanei aquila, Imperii inſigne (quo etiam

complures Bataviae urbes, licet a jurisdictione Imperiali exemtae cenſeantur, adhuc dum uti conſueverunt, effectu hujus rei, noſtro quidem judicio, non adeo inani exiſtente) praeferatur, *Irenic. ad Burgold. p. 98.* neque Florentia independentiam urgere poterit, praeſertim quum majora fere et recentiora exercitae in hanc ditionem Imperatoriae Majeſtatis deprehendantur documenta, quam in Januenſes etc.

XXI.

Nemo autem egregie magis jura Imperii in Italiam, et praeſertim ditionem Florentinam adſeruit, quam Carolus V, divae memoriae Imperator, cujus virtutes tam enituerunt ubique terrarum, belli paciſque negotiis, ut ipſi inimici ejusdem, Galli et alii, ipſius gloriam multum evexerint ſuis paſſim ſcriptionibus. Nimirum Imperator optimus, cum Papa, ipſi multis precibus iterum reconciliatus, prouti erat mitiſſimi ingenii Princeps, de gente Medicea, e patria ſua dejecta, valde conqueſtus fuiſſet ac Caeſar animadvertiſſet, ejectionem ejusmodi ſine ejus voluntate, nec adeo legitime, fuiſſe ſuſceptam, ſui officii exſtare putavit, ut *ſpoliatos* ac exules Mediceos iterum reſtitueret, populo, ad ſeditiones excitandas et quietem Italiae conturbandam prono, materia hujus rei praeſciſſa. Quae res patet ex ipſo *Artic. IV.* Ligae, Barcinone A. 1529. concluſae; qui tamen in *ſcripto adverſo* pro adverſa ſententia corroboranda adducitur, ſub *N. II.* ibi: *Spoliatorum reſtitutio.* it. *ſuperioribus annis in patriam Florentiam* RESTITUTI *mutuis eisdem correſpon-*

ſponderunt OFFICIIS, *in omnibusque* GRATISSIMOS *ſe exhibuerunt*, it. *ipſius Caeſareae Majeſtatis copiis et viribus*. it. *quod quidem* (reſtitutionem) *S. Majeſtas efficiet non magis* PRIVATI ſuae Sanctitatis commodi ac dignitatis cauſa, quam ad EVITANDUM ejus urbis PERICULUM, nec non ob PUBLICAM ITALIAE QUIETEM etc. Igitur non perſpicitur, qua ratione ſtatui queat, Carolum V Florentiam ſubegiſſe, quia foedus cum Pontifice percuſſiſſet. Enimvero ille non poterat nec debebat Florentinae civitati agnatos ſuos obtrudere, vel de cauſſa exilii horum cognoſcere. Quare merito omnia arbitrio Caroli relicta, qui, jure poteſtatis ſuae ſupremae uſus, Mediceos in patriam reſtituit, ac Principatum ipſis commiſit. Sicubi Caeſari nullum jus in Florentiam competiiſſet, neque is Mediceorum cauſſam tueri legitime valuiſſet, quia libera prorſus reſpublica ejiciendi cives, principatum adfectantes, facultate omnino pollet, neque a Principe extraneo, qui jurisdictione omni in ejusmodi rempublicam deſtitutus, alioqui vero ob expulſionem minime laeſus eſt, ut cives expulſos recipiat, juſte adigitur. Unde nunc prudens quilibet intelligit, ipſius gentis Mediceorum, vel ejus forſan ſucceſſorum, referre, uti jure Imperiali, non vero ſola foederis cujusdam vi, Principatus Florentinus eidem partus fuiſſe cenſeatur, ſi acquiſitio dominationis juſto titulo niti debeat ac Florentinis de amiſſa libertate et forma priſtina civitatis conquerendi, vel amplius cogitandi, aut vim metumque urgendi materia praeſcindi.

XXII.

XXII.

Quae hactenus diſceptata fuerunt, nequaquam infringuntur, cum in *ſcripto adverſo p. 6.* contendatur, ipſum Caeſarem ſemet privaſſe jure parandi aliquam ſuperioritatem in Florentiam, cum ſeſe minus aperte pro hoſte civitatis geſſerit, ſed tantum Pontifici et familiae Mediceorum copias auxiliares, quas vocant, conceſſerit, quae ſi quid acquirant, non cedat illi, qui auxilia praeſtitit, potius cujus nomine expeditio ſuſcepta. Aſt intelligendum eſt, omnino Carolum V ſua potius auctoritate Mediceos reſtituiſſe ac ſtatum reipublicae ordinaſſe, ut ſuperioritas pridem Imperio parta magis firmaretur ac Florentiae urbs, Gallorum ſemper et hoſtium Imperii partes ſecuta, coërceretur. Sane, cum Medicei, tum exules, ſubditos ſeſe ac clientes lubenter profeſſi ſint, quis crediderit, Caeſarem veluti cum illis foedus iniiſſe ac copias auxiliares ſuppeditaſſe? In *cit. Art. IV.* copiarum auxiliarium, quibus regulariter gentes liberae ſeſe, mutuae amicitiae vinculo ductae, juvare ſolent, nulla injicitur mentio, potius reſtitutionis modus his verbis innuitur: *Caeſareae Majeſtatis copiis et* VIRIBUS. Neque opus fuerat, ut Caeſar nunc primum ſuperioritatem in Florentiam acquireret, cum pridem iſta ad Imperium ſpectaret. Sed tantum de firmanda et vindicanda actum. Atque poteſtatem, Mediceis conceſſam, hic nil obſtitiſſe, ſed diſerte a Caeſare jus Imperii inveteratum fuiſſe retentum, mox pluribus demonſtratur. Id vero non

obſtat,

obſtat, quod in *allegat. Art. IV. de integra reſtitu tione* quidpiam diſſeratur. Medicei, antequam ejicerentur, nequaquam tum Principatui admoti, vel civitatis formam plane ſuppreſſerant. Nam Florentini reliqui, gubernationem a Mediceis ſolis pendere, aegre ferebant. Ideoque, cum reliqui cives Florentini a jurisdictione Imperii fuerint nullibi exemti, neque Medicei, primarii tum et ad Principatum adſpirantes, iſtam declinaſſe unquam leguntur, qui econtra expulſi, Caeſaris praeſidium efflagitarunt ideo, quod, iſtum ſolum Florentinis leges dare, ac ipſos *ſpoliatos* adjuvare poſſe, ratione legitima non ignorarent. Igitur auctoritas familiae Mediceorum, quam ante ejectionem Florentiae quaeſierat, tanta non extitit, ut Caeſar, illam reſtauraturus, jurisdictioni ſuae ſupremae illico repudium miſiſſe videatur, cum, ea poſt multum adaucta et reipublicae ſtatu prorſus ferme ab Imperatore immutato ac tum demum vero et legitimo Principatu Florentiae introducto, nequidem juri Imperiali aliquid deceſſerit, ſed iſtud utique fuerit retentum. Neque iterum ad rem pertinet, quum contendatur, ideo Caeſarem non potuiſſe de ſuprematu Florentino, vel jure Imperii quicquam ſtatuere, cum in *dict. Artic. IV* ordinationem reipublicae ſoli Papae commiſerit, ibi: *Reipublicae Florentinae ſtatu ad arbitrium S. Sanctitatis conſtituto.* Aſt magis exiſtimandum eſt, haec verba ſic explicanda, ut Caeſar promiſerit, ſeſe Papae arbitrium, atque, ut tandem certa et tranquilla regiminis forma Florentiae erigeretur, et Mediceis gubernatio novi Principatus traderetur, petitionem haud fore neglecturum. Con-

E ſtitu-

ſtitutionem autem reipublicae ipſam neque Papae, nec ulli alii unquam commiſit, atque, ut ille negotio ſe immiſceret , paſſus fuit, probe ſciens, ejusmodi commiſſionem majeſtati Imperii plane refragari, facile dein contingere poſſe, ut Clementis VII ſucceſſores jus quoddam , aut dominium directum in ditionem Florentinam ſibi adrogent, neque congruere , ut Papa , gente Medicea oriundus, atque ſuam agnatorumque cauſſam coram Caeſare orans, partis ſimul, advocati, judicis et Commiſſarii vice defungatur. Audiatur, ſi lubet *P. Jovius L. XXIX.* memorans, inter deditionis civitatis, in manus veluti Caeſaris ſolius ac ejus miniſtrorum peractae, leges praecipuam eminuiſſe: ANTE OMNIA *conſtiſtuendae atque ordinandae reipublicae facultas* ARBITRIO CAESARIS *permittitor.* Neque Pontifex iſtam facultatem tum adfectavit, cum potius id quoque pacto traditionis urbis fuerit cautum, *teſte Guicciardino L. XX.* PONTIFEX *et civitas Caeſari, quaenam eſſe debeat reipublicae forma, inter menſes tres conſtituendi poteſtatem dato,* i. e. ſoli relinquito.

XXIII.

Cum evictum fuerit, reductionem Florentiae, ad obſequia familiae Mediceae habenda, minus ex ſolo foedere, Caeſarem inter ac Papam Barcinone celebrato, dimanaſſe, diluenda itidem opinio, quae, Caeſarem *Mediatoris*, uti loquuntur, officium ſuſcepiſſe, ibi fingit. Iſta ſententia, quam nullus coaevus ſcriptor proferre auſus fuit, vel hucusque alius quiſpiam,

Digitized by Google

am, hinc probari poſſe cenſetur, quod poteſtas ordinandi rempublicam, Imperatori data, mirifice *Art. I. Praeliminari* fuerit conſtricta, quod non licuiſſet, ſi ea facultas dignitati Imperiali cohaereret. Verum ea omnia nil efficiunt. Nam poteſtatem illam, quam non demum accepit a Florentinis, ſed dudum a priſtinis Imperatoribus exercitam et nunc quoque armis ſtrenue vindicatam, lubenter paſſus fuit conſtringi Caeſar ac ipſe conſtrinxit. Equidem quod depoſito certo aliquot menſium termino perhibetur, non immerito ſuſpectum videtur. *Guicciardinus* tres menſes memorat, *ſcriptum adverſum* quatuor, *Jovius*, quem optimam hujus rei cognitionem fuiſſe adeptum, conceditur p. *23*. nil de certi temporis determinatione narrat. Dein non conſequitur. Poteſtatem formandi rempublicam exercere Caeſar debuit ita, ut libertati Florentinae nil decederet; Ergo iſte mediatoris munus obiit. Nam diſerte, Caeſarem Legatis Florentinorum reſpondiſſe, memorat *Guicciardinus L. XIX. Civitatem ob foedus cum Caeſaris hoſtibus initum et copias contra ipſum miſſas, privilegia amiſiſſe, atque ad Imperium recidiſſe, ideoque Caeſarem de ea* QUICQUID VELLET *ſtatuendi poteſtatem habere.* Quum vero iſtam ſententiam dein mutarit, Pontificis maxime precibus motus, qui, urbem prorſus militibus diripiendam dari et omnibus privilegiis privari, aſperum nimis putabat, id minus factum eſt, quod Florentini ipſum eo adegerint, vel neceſſitatem quandam impoſuerint, quibus ſufficeret, miſeram tum civitatem ab interitu liberari ac beneficia indulta firmari. Omnis illa pactio, quae cum inita fuit, magis preces complexa fuit Florentini

populi, ab excidio non adeo longe tum remoti. Quae prolixe declarat *Jovius L. XXIX.* ubi de Caeſareo diplomate perhibet, praeſertim ajens: *Subindeque Caeſar cuncta veterum beneficiorum atque immunitatum privilegia, quae alias promeruerint*, SINCERO AFFECTU *confirmat.* Quibus verbis dein, quod apprime obſervandum eſt, adjicit: *Haec ut perpetuo ſerventur*, IMPERAT, *et his, qui violaverint, decem myriadum puri auri* MULCTAM INDICIT. An vero ille, qui mediatoris officium gerit, mulctam indicere poſſit iis, qui pactionem, quam procuravit, laeſerint? Quae poteſtas etiamſi a partibus mediatori cuidam diſerte fuerit indulta, tamen is non exercebit niſi ex quadam libera iſtarum voluntate, cui ſeſe hucusque permiſere, neque mulcta, a mediatore ſtatuta, alios tanget, qui adverſus conventionem initam dein quid moliuntur et mediationem irritam reddere malunt. Aſt hic, cum talis facultas non prius conceſſa eſſet Caeſari, tamen is auctoritate ſua ejusmodi poenam ſancivit et non ſolum Florentinis, ſi quid iterum turbarum excitarent, ſed Mediceis quoque, libertatem illorum forſan attentantibus, et aliis Italiae vaſallis et ſubditis, mandatum quacunque ratione contemnentibus, injungi voluit, cum verba generaliter imperativa fuerint concepta. Amplius *diplomata* edere non ſolent, qui mediationem ſuſcipiunt, neque poſſunt, cum diplomatum jus ad regalia pertineat, mediationis autem, quod reconciliationem et pacem reſpicit faciendam, inter pares et liberos utrinque populos ſibi vindicet locum, adeoque ab omni juriſdictionis vi longe ſit alienum. Si igitur probatum, uti fas erat, fuiſſet, Carolum Caeſarem

Digitized by Google

ſarem mediatoris ſolum vices ſuſtinuiſſe, non diffitebitur aliquis, hoc cum Imperiali ejus dignitate et jurisdictione minus potuiſſe conciliari. Sed, cum probatio mire hic deficiat, immo contrarium e genuinis ſcriptoribus et documentis pateat, quis de objectione inani velit amplius exſtare ſollicitus?

XXIV.

Ludovicus Guicciardinus, qui cum *Franciſco Guicciardino* imperite confunditur, *Rerum Memorabil. L. I. p. 100.* itidem deditionis Florentinae et conditionis adnexae injicit mentionem, ita narrans: *Hic Florentini cum dedunt Carolo V urbem ſuam bello victi, primariam* LEGEM *accipiunt, ut a Pontifice et abs civitate Imperatori attribueretur auctoritas dictatorum, nimirum formulam praeſcribendi, qui deinceps foret ſtatus civitatis, incolumi manente ſemper libertate.* Ubi autem commonendum eſt, verba: *incolumi manente ſemper libertate*, ita accipienda eſſe, ut intelligatur libertas, privilegia et regalia complexa, quibus cum Caeſar merito perfidos privare poſſet, tamen Pontificis precibus commotus reliquit et ſincero affectu confirmavit, nequaquam vero ſuprematus quidam et exemtio a nexu Imperii. Amplius haec quoque interpretatio non incongrua forſan, ſi dicas; non opponi hic libertatem indefinitam, excluſo Imperatoris dominio ſupremo, potius libertatem populi, nulli Principi, vel Duci unquam ſubditi, ſed immediate Imperio obnoxii, Principatui Mediceorum hereditario, hac ratione, ut tum cautum fuerit ab Imperatore, novum Principa-

tum juribus civium et privatorum debere nil jacturae adferre, neque Mediceis licere, regimine deſpotico uti. Ceterum an haec regula et norma, de qua *id. Guicciardinus* latius egit *cit. loc. p. 101.* intuitu libertatis civium ſemper fuerit obſervata, jam non vacat disquirere. Interim id nemo negarit, Italicae gubernationis gnarus, beatiores eſſe urbes, quae immediate Imperio parent, illis, quae jugum Principalis dominationis, (excepta tamen directione Teutonica ditionum Italicarum, quae ad Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam pertinent, utpute quae magis ad regulas aequitatis et magnanimitatis, in Germaniae regionibus praeſertimque Auſtriacis, pridem receptas, adſtricta eſt, neque ſubditos offendit, nec deſpoticum regimen tale, quale in Hetruria deprehendi ajunt, redolet,) ipſis Italis confitentibus, patiuntur. Sat ſapienti!

XXV.

Libertatem igitur Caeſar quidem primaevam Florentinorum confirmavit tum, non ſuprematum quendam ceſſit, aut, inſtauratum hic ſubintelligi, voluit. Neque officit, quod *Grotius p. 8.* allegatus, libertatem ſine ſummo imperio concipi minus poſſe, arbitretur. Etenim differit *Grotius* de libertate Juris Gentium, qua liberi prorſus et neminem praeter Deum ſuperiorem agnoſcentes populi fruantur. Atque ea libertas omnino ſummum imperium, ſeu *independentiam* quandam et omnia itidem jura majeſtatica complectitur, adeoque *perfecta*, *illimitata*, vocatur. Sed exiſtit quoque libertas *minus perfecta*, *minuta ſeu limitata*,

tata, quam omnino abſque ſummo imperio concipere ingenium valet. *Cuncta veterum* BENEFICIORUM *atque immunitatum* PRIVILEGIA *confirmavit Caeſar*, quem in modum *Jovius* diſſerit, nequicquam ſummum quoddam et independens imperium, vel plenam a juriſdictione Imperii exemtionem ſtabilivit. Jam ſupra enim demonſtratum fuit, libertatem, Italicis civitatibus generatim indultam, talem fere exſtitiſſe, ſemper qualis hodie conſpicitur urbium Germaniae Imperialium. Nimirum, quemadmodum hae immediate Imperio parent, ſic illae quoque tum neminem ſuperiorem, praeter Caeſarem et Regem Italiae totius, veneratae. Quam ſententiam, nemini hucusque delineatam probe, confirmat ipſe Maximilianus I Imperator, graviſſimus omnino et maximus teſtis, cum apud *Goldaſtum Act. Polit. Imp. p. 64.* A. 1507. in Comitiis Conſtantienſibus erga Regem Galliae diſerte profeſſus fuit: *Florentiam, Sienam et Piſas, Romano Imperio* IMMEDIATE *ſubjectas eſſe;* quemadmodum animadverſum jam §. XX. Dein autem, ſicuti urbibus Imperialibus Germaniae Praefecti quidam a Caeſare olim fuerunt dati, egregie hoc demonſtrante *Heidero* von Reiches-Vogteyen, Italiae urbibus quoque Vicarii quidam a plerisque Imperatoribus, Rudolpho I quoque, Adolfo Naſſovio et Alberto I, praepoſiti. Conf. Diploma *in Append. ſub E. Annal. Steron. ad A. 1293. Villani Chron. IIX. C. 10. Ammirat. ad A. 1295. L. IV. p. 195. et L. 197.* Diploma *ſub F. id. Ammirat. cit. loc. p. 213.* Cum autem quaedam urbes Germanicae ſingulari beneficio immunitatem ab omni praefectura accepiſſent ac

jus

jus rem publicam propria auctoritate gubernandi, leges ferendi et agendi alia, quae dirigendae civitati inſervirent, unde ejusmodi urbes, ut ab aliis diſtinguerentur, appellatae LIBERAE *Imperii;* ita haec felicitas contigit quibusdam Italici Regni civitatibus, v. c. Florentiae; de quo jam ſupra actum fuit. Amplius, ſicuti urbes Germaniae plurimae inſignia regalia beneficio Caeſarum et publicis diplomatibus, vel praeſcriptione etiam acquiſierunt; ſic quoque civitatibus Italiae, inprimis poſt Fridericum I Imperatorem, ejusmodi jura privilegiis et uſu paſſim acceſſere. Cum adeo tam egregie convenerint urbes Germaniae et Italiae, quis jam diſparitatem ipſarum, quoad nexum Imperii ſubditiium, ſtatuat? Civitates Germaniae immediatae, licet libertate magna gaudeant, et juribus egregiis communitae ſint, tamen Imperio ſubjectae, unde cuivis Imperatori non ſolum ſacramentum fidei, ſed ſubjectionis quoque praeſtant. Nam civitates liberae e cenſu rerum feudalium merito excluduntur et proin ad res allodiales magis referendae ſunt, tam contractu clientelari hic deficiente, quam inveſtitura, Vid. *Coccej. Juriſpr. Publ. C. XVII. §. 13.* Cur ergo civitates Italiae liberae quid praecipui prae Teutonicis victricibus fuerint ſortitae? An non iſtae quoque Caeſari, in Italiam ducenti, ad conventum in *Campis Roncaliis* habitum, magno agmine confluentes, jurisjurandi vinculo arctiſſimo ſemet obſtrinxere, teſtibus *Radevico*, *Ottone Friſingenſi*, *Sigonio*, aliis? An non Rudolphus I comitem aliquem in Etruriam miſit, ut Tuſci fidelitatem jurarent et ipſi obedirent, memorante itidem *Antonio*, *Floren-*

Florentino, *Summ. Hiſtor. Tit. XX. C. 4. §. 4.* Quapropter, ut res paucis contrahatur, omnes illae civitates, licet tum pariter allodia exſtiterint et pluribus privilegiis, forſan et regalibus fuerint ornatae, tamen a jurisdictione Imperii non fuerunt exemtae, nec potuerunt eximi ſine Statuum Teutonicorum aſſenſione.

XXVI.

Adeo nunc liquet inſignis diſtinctio, ſummis litibus dijudicandis idonea, nexum *territorialem* inter et *feudalem*. Ille complectitur poteſtatem, quae ſeſe regalium variorum uſu exſerit, ac inprimis in ſubjectos regionis exercetur. Hic vero, regalium quidem uſu apud vaſallum vel ſubditum conſtituto et ipſi qualibet libertate conceſſa, nihilominus dominium directum, vel ſuperioritatis ſpeciem concedenti ſervat, quae inſignes continet effectus, ut alter, liberrime licet terram poſſideat et jura innexa, obſequium ferat danti, nec, ſiquidem clientelaris verus nexus ſubſit, rem alienare valeat, auxilia neceſſaria praebeat, immo ob crimen laeſae majeſtatis, aut feloniam ditione privari poſſit etc. Licet itaque Florentini olim a ſubjectione et nexu territoriali fuiſſent liberati atque ad ipſos omnium regalium, quibus alioqui liberae prorſus respublicae utuntur, complexus, quem vocant, tranſiiſſet, (quod tamen generaliter nimis intellectum haud conceditur, cum nec liberae Germaniae civitates, nec Principes omnes et Status jura, v. c. nobilitandi, *quae reſervata Caeſarea* dicuntur,

tur, valeant in territoriis ſuis uſurpare, nec Dux Sabaudiae, primarius fere Ducum Italicorum, poſſit, niſi vi ſingularis Vicariatus, Caeſareae Majeſtatis capitulatione firmati, ceteroqui a ſuperioritate territorii longiſſime diſcreti, cum illa reſervata Imperialia minus complectantur) civitas nihilominus ſub clientela et ſupremo dominio Imperii perſtitit et nexus feudalis manſit intemeratus. Atque hic nexus, praeſentem quod attinet quaeſtionem, pro *adaequato* atque UNICO *concludendi et decidendi medio* habendus eſt, e contrario nexus territorialis *pro vinculo plane impertinenti*. Enimvero ſubjectionem a vaſallagio mire diſcrepare, omnes norunt. Igitur ſublata quamvis ſubjectione, non illico tollitur vaſallagium. Forſan etiam liberius territoria ſua regunt Magnus Etruriae Dux et reliqui Principes Italici, cum Conſtitutiones Imperii Germanici, quae paſſim ſuperioritatem Statuum conſtringunt, ad Italiae Principes minus pertineant. Formulae enim Germaniae ac Italiae nullo non tempore a ſe invicem diſſenſerunt. Sed cuncta haec vinculum clientelare minus evertunt. Haec res non incongrue illuſtratur exemplo Sereniſſimorum Auſtriae Archi-Ducum, qui, ſive ſpectes nexum, quo Imperio addicti, ſive poteſtatem territorii, omnibus longe Electoribus et Principibus Imperii praeferendi ſunt, quum pridem, Caeſareo diplomate, ad regalem dignitatem fuerint evecti ac ab Imperii oneribus aliiſque, quae feudis quoque regalibus cohaerent, immunes, dein jura omnia majeſtatica, etiam plurima reſervata Caeſarea in ditionibus ſuis exerceant, neque Conſtitutionibus Imperii, in-

pri-

primis ſuperioritatem cohibentibus, obligentur. Nihilominus iidem Archi-Duces vaſallos ſeſe Imperii lubenter profitentur, neque ſupremarum adfectant. Conf. *Inſtr. Pac. Monaſt. §. 72.* ubi in cauſa Pinarolenſi JUS DIRECTI DOMINII, a SUPERIORITATIS JURE caute diſcernitur.

XXVII.

Poſtquam ad familiam Mediceam Principatus Florentinus ac dignitas *perpetui Imperii Gubernatoris ac Vicarii*, quae omnino *ſubordinationem* complectitur, pervenit, vera clientela et nexus proprie feudalis fuit exortus. Verum objectio iterum diſcutienda eſt, quae in *ſcriptione contraria* hinc revocatur, quod Carolus V Imperator, cum ſtatum Florentinum formarit, *arbitri*, non judicis officium geſſerit. Nam verba decreti ſive diplomatis Caeſarei *ſub G.* quod Auguſtae Vindelicorum A. 1530. concinnatum in publicis Comitiis, ab univerſa civitate ſumma veneratione et obſequii declaratione exceptum, Principatum familiae Mediceae perfecte demum confirmavit, ab omni *laudi* indole et formula remota. An id cum *arbitrio* concilietur, cum Caeſar ait: *Sicuti ex deditionis conditionibus liqueret, ipſius* AUGUSTAE POTESTATIS IMPERATORIIQUE ARBITRII *eſſe*, LEGES *condere et rempublicam* ORDINARE? Adeo curatius Imperator ſuae nec auctoritatis, nec jurium Imperii facile prodigus, uti omnia ejus praeclare geſta oſtendunt, IMPERATORIUM ARBITRIUM ab arbitrio vulgari,

 quod

quod inter urbis cujusdam Italiae incolas et cives ferre dignitas Caeſaris et Imperii nullo tempore paſſa, ſegregavit. *Jovius L. XXIX.* recenſet, qua ratione diplomate et decreto Caeſareo accepto, dictator Benedictus Blondelmontes, Caeſaris legato reſponderit, ubi praeſertim obſervanda ſunt verba: *Quod igitur felix fauſtumque ſit populo Florentino,* LEGES *nobis latas a Caeſare ad non dubium hujus recte atque appoſite ordinati ſtatus incrementum ſuſcipio veneror que, ſervaturumque polliceor, ac pari ſtudio atque* OBSEQUIO *magiſtratus, cunctique civitatis ordines, qui praeſentes adſunt, ſuſcipient, atque optima* FIDE *ſervabunt.* Conf. *Inſtr. Ord. ab Oratore Caeſareo A. 1531. peractae, ſub H.* Unde etiam conſtat, diſpoſitionem publicae rei auctoritate et gratia Imperiali fuiſſe ſuſceptam, ibi: *Sereniſſimus Dn. Imperator, omnia et ſingula privilegia, indulta, gratias et conceſſiones, per ſuos praedeceſſores, divos Imperatores Florentinae civitati, et ejus illuſtri dominio conceſſa et facta, ac conceſſas et factas ex ſua mera* LIBERALITATE *confirmavit, atque de novo conceſſit, mandavit,* JUSSIT *et voluit etc.* Ceterum ſine ejusmodi diplomate ac ſingulari conceſſione Mediceos nunquam ad quietum Principatus Florentini poſſeſſionem pervenire potuiſſe liquet, cum Caeſarea auctoritate et voluntate opus eſſet, ad animos civium, Mediceis adverſantium, coërcendos. Traditione civitatis peracta, Alexander Mediceus, futurus Princeps, eam forte ingreſſus fuit, parte populi et amicis ejus acclamantibus. Neque tamen gubernationem prius ſuſcipere debuit, quam Caeſar normam publica ſententia et ſolenni man-

mandato praeſcripſiſſet, gravi poena adverſus transgreſſores ſimul conſtituta. Quod omnem eximat ſcrupulum, ipſe *Guicciardinus*, in *tractatu adverſo* probatus et toties allegatus, de arbitrio ſilet, immo auctoritate Caeſarea formam Florentinae reipublicae fuiſſe compoſitam, ut confiteatur, veritatis vi adigitur, cum inquit: *In hac autem* CONSTITUTIONE *hujusmodi verba, quae ipſorum jura* NON MODO *poteſtate ſibi a partibus conceſſa*, VERUM ETIAM CAESAREA AUCTORITATE DIGNITATEQUE *niti oſtenderent, paſſim inſeruit*. Probe ſcilicet aeſtimavit *Guicciardinus*, vir prudentiſſimus, Florentinis ſub graviſſima comminatione devolutionis ad Imperium et punitionis amiſſionisque omnium privilegiorum iteratae fuiſſe injunctum, ut Mediceos pro magiſtratu ſuo agnoſcant, hoſce etiam admoneri, ut ſeſe imperio obedientes, et fideles oſtendant, neque contra verba diplomatis quidpiam ſuſcipiant, inprimis libertatem populi illaeſam relinquant. Quae cuncta juſte perpenſa fuiſſe, atque cuilibet, qui veritatem diligit, perpendi debere, neque amplius quicquam *Gubernatione et Praeſidatu* Alexandro conceſſum, verum ac proprium in ſubditos regimen aegre adepto, ſuadent verba ejusdem decreti Carolini, ibi: *perpetuis futuris temporibus magiſtratus reipublicae dictae* EISDEM MODIS *et* FORMIS *eligantur, diſponantur etc.* it. *Regiminis caput, et ſub ejus* PRAECIPUA CURA *et* PROTECTIONE *etc.* it. *in omnibus ſupradictis magiſtratibus etc.* INTERESSE *hisque* PRAEESSE. Cum igitur Medicei nequidem ſuprematum intuitu

 ſub-

ſubditorum adepti fuerint, multo minus conſecuti intuitu Imperii, cujus jura Carolus V. ſane magis confirmavit, quam projecit. Ita enim in diplomate eodem loquitur: *Cupientes* etc. *noſtramque et Romani Imperii* DIGNITATEM *et* AUTHORITATEM, *ut tenemus*, CONSERVARE. Tandem, ſiquidem arbitri tantum munere defunctus fuiſſet Carolus V, non poterant cives dein Principem ſuum coram ipſo accuſare, quum arbitri cujuscunque poteſtas, laudo pronuntiato, exſtinguatur. Accuſationem autem ejusmodi contigiſſe, memorat *Thuanus*, Hiſtoricorum recentiorum facile princeps, *L. I. Hiſtor.*

XXVIII.

Hucuſque Carolo Caeſari, non civibus Florentinis, neque Pontifici, Principatum ſuum debere Mediceos, abunde fuit expoſitum. Si quis autem quaeſierit, utrum potuerit Caeſar formam Florentiae inveteratam et a praedeceſſoribus confirmatam, invito quoque populo, evellere ac aliam in ejusdem locum ſubſtituere, merito arbitrandum eſt, injuriam Florentinis haud factam. Nam *Jovius* cum *L. XXVII.* leges foederis, Carolum inter ac Clementem initi, refert, ita quoque diſſerit: *Adjectum eſt, ut poſtquam Florentini adverſum Caeſarem, confiſi incertae Gallorum victoriae, arma tuliſſent,* MAJESTATIS REI *facti, libertate* (tali, quae ante explicata) *et antiquis ſuperiorum Caeſarum conceſſis immunitatibus ſevere* PRIVARENTUR, *obiterque civitati Principem Alexandrum adoleſcentem imponeret* etc. Add. *Guicciardinus*

dinus L. XIX. Unde colligitur, Florentinam libertatem, qua ante dominatum Mediceorum fruebantur, e gratia Imperatorum profluxiſſe ac privilegiorum ſemper eam exſtitiſſe naturam, ut nihilominus iſti, ſi quid noxii perpetrarent, in poenam criminis laeſae majeſtatis inciderent ac proin ob perfidiam et ingratitudinem beneficia perderent. Quo pertinet de Veneta libertate judicium *Bartoli ad leg. 24. D. de captiv. et poſtlim. reverſ.*

XXIX.

Monetur nunc in *ſcript. contrar. p. 8. et 9.* ad dominium directum in ditionem Florentinam quaerendum opus fuiſſe, ut Caeſar tum, republica ordinata, vel juramentum fidelitatis a novo Principe et populo Florentino exigeret, aut Principem, praeſtito prius ſacramento, de Principatu, tanquam genuino Imperii feudo inveſtiret, aut, qua ratione conſtitutionem regiminis Florentini jurisdictio et auctoritas Caeſarea ſola pepererit, declararet. Quae objectiones facili negotio ſupprimuntur. Sicubi diploma Caeſaris, ſaepius memoratum, curatius inſpiciatur, patebit, veram eo conceſſionem clientelarem contineri, nec id abhorrere multum ab hodiernis ejusmodi documentis, quae *Inveſtiturarum* vulgus *Literas* appellat. Ubi non tam ad verba et eorum pompam reſpiciendum, potius mentem Caeſaris et diploma largientis. Jam a Carolo imperatur, ut Alexander Medices caput reipublicae habeatur, cui gubernationem nunc illius commiſerit. Jubet porro, ut *ea dignitas liberos*

Digitized by Google

ros ejus legitimos pertineat : atque his deficientibus ad proximiores Mediceae ſtirpis totius ejus praeeminentiae et dignitatis jura devolvantur: it. *utque in noſtra et Romani Imperii* FIDE *ac devotione perpetuo maneat.* Annon ex hiſce verbis clientelaris conceſſio ſtatim elicitur, immo feminae ſimul quoque *tacite* a gubernatione reipublicae excluduntur cum Caeſar videatur juris Longobardici, quo Italici quoque Principatus feudales reguntur, regulam hic amplexus eſſe, quae faeminas a ſucceſſione in feuda, praeſertim regalia, juſtiſſime arcet? Igitur ii non erroris coarguendi, qui, Caeſarem, diplomate hoc miſſo, Alexandrum veluti de Principatu Florentino inveſtiiſſe, putant. Nam, inveſtituram variis ſymbolis et modis celebrari, omnes norunt. Cur igitur non ſuffecerit, ſi quis diploma conſequatur, ad normam literarum inveſtiturae directum, etiamſi ipſae inveſtiturae ſolemnitates minus intervenerint? Quemadmodum olim quoque, inveſtitura licet petita ac impetrata forſan, literae tamen minus exhibitae fuerunt, immo ſolemnitates quoque plurimae omiſſae, quae maximam partem recentioris aevi. Vid. *Beſold. Conſil. CCXCIX. num. 36.* Cujuscunque rei, etiam Principatus qualitas feudalis, dignoſcitur inprimis ex mente dantis. Neque intereſt, quacunque ratione illa voluntas et intentio ſeſe exſeruerit. Neque juramentum fidelitatis ad eſſentiam clientelaris nexus pertinet, cum ſit naturale tantum ejusdem praeſtatio, quae vel expreſſa conventione, vel tacita remiſſione, ceſſare intelligatur. Quo ſpectat argumentum ab homagio ductum, quod itidem accedit ſubjectioni tantum corroborandae. Quic-

quid

quid ergo Florentini quondam praeſtationem ejusmodi ſacramenti declinarint, a Caeſare vel ejus vicariis graviter exactam, nihilominus idem ſubjectionem populi non intervertit. Licet quoque Principes Medicei ad id negotii nec a Carolo V, nec ab alio Caeſare, adacti legantur, omiſſio talis ſuprematum quendam, vel perfectam a jurisdictione Imperii exemtionem fruſtra parit. Immo praeſcriptum fuiſſe eo caſu dominium directum, nequidem cenſetur. Sola omiſſio exactionis ſive inveſtiturae, ſive juramenti ſive ſervitiorum, ut ut maxime eis indiguerit dominus directus, ad praeſcriptionem dominii directi privativam non ſufficit, ſed neceſſe eſt, ut vaſallus verbis aut factis declaret, ſe nolle eſſe vaſallum, nec dominus contradicat, *arg. II Feud. 26. 33. 87. Roſenthal. de Feud. C. VI. Concluſ. 82.* Neque, quamvis jus petendi juramenti fidelitatis praeſcriptione exſtinguatur, exiſtimatur, ipſummet dominium directum periiſſe, quum, fidem quidem *feudiſticam* (qualem ex diplomate Carolino, et declaratione civitatis ſecuta, abunde apparere, ſupra jam monitum fuit) non item ſacramentum fidei hic requiri, diſerte itidem ſtatuatur *II. F. 3. in fin. II. F. 21. §. 1.* Sola in gradu promisſionis differentia non induit mutationem ſpeciei.

XXX.

Declaravit vero, quicquid ex parte adverſa moveatur *p. 9.* Carolus V, ſatis ſe familiae Mediceae auctoritate Caeſarea, nequaquam jure arbitrii, vel mediationis, vel alio, Principatum Florentinum indulſiſſe.

ſiſſe. Quod ex diplomate ejus ac ſcriptoribus coaevis ac genuinis ita oſtenſum fuit ac erutum ſupra, ut haec res laxiorem aegre deſideret explanationem. Profeſſus fuit nullibi Imperator, ſe vi poteſtatis cujusdam, a partibus traditae, negotium perfeciſſe. Neque cum familia, iſto aevo, Medicea conventionem iniit ſingularem Carolus, foedere ſaltem aliquo cum Pontifice, quem, Romae ſat tutum, res proxime haud tetigit, icto, quo teſtaretur ipſe, ſe nil magis optare, quam ut tandem rebelles Etruſcorum animi ad obſequia reducerentur et Italiae regnum, cui tanquam ſupremus Princeps et Rex praeeſſet, quieti redderetur. Nam id omnium imperantium officium poſtulat, ut ditionum ſuarum et ſubjectorum tranquillam conditionem ſervent et perturbatam reſtaurent. Quum e contrario, ſi Carolus V Imperio in civitatem nil juris unquam partum, exiſtimaſſet, vel Florentini, Gallorum partes amplexi, tantam perfidiam minus commiſiſſent, ſola iſta lis, quae Mediceos ac reliquos Florentiae cives interceſſerat, Caeſarem a negotiis majoris ponderis expediendis haud retinuiſſet. Auctoritas *Caſparis Klockii alleg.* tantum terret, quantum terrere poſſit doctoris ſcholaſtici. Enim vero iſtum auctorem parum cognoviſſe res Italicas, commentarii ejus paſſim evincunt, magis allegatione veterum JCtorum, quam diplomatum et Hiſtoricorum probatorum, repleti. Ac idem ille doctor nihilominus *cit. loc.* concedit, Carolum V *Florentinos debellaviſſe*, *et ob* INGRATITUDINEM ET MOLITIONEM ADVERSUS IMPERIUM *coercuiſſe*. Quis vero unquam prudens

dens ſibi habuerit perſuaſum, iſtam coërcitionem Caeſarem ſine ullo fructu, hinc ad Imperii augmentum redundante, ſuſcepiſſe et ſolum, ut Mediceis ſupremacus Hetruriae quaereretur ac Florentini nunc Principes, contractis magis viribus, et diſſenſionibus civilibus ſublatis, plus Imperio nocerent, ac antea cives, Principis dominationi minus ſubditi et variis turbis domeſticis ſubinde impediti? Ac idem *Klockius*, cum commentum de Rudolphina venditione jurium Imperii probat, ignorantiam ſuam ſatis prodit. Amplius autem labitur idem ſcriptor, cum ait: *Mediceam familiam* NUNQUAM *agnoviſſe Romanum Imperium.* Unde enim ſoli Medicei, cives quondam Florentini, prae tot regibus et aliis magnis principibus, regna ſua et principatus ſponte et ultro quoque in clientelam et dominium Imperii directum tradentibus, nec exemtionem urgere auſis, non agnorint illius majeſtatem, ubique per Italiae inprimis oras diffuſam, neque Venetae tum Reipublicae recuſatam? Videtur plane *Klockius* duas res invicem commiſcuiſſe, quarum diverſitas ſupra delineatur, nimirum jura principatus poteſtatisve territorii ac jura dominii directi. Putavit, Mediceos, dominatione Florentiae inſtructos, pro ſupremis Principibus habendos eſſe atque Caeſares reſervata ſua, in provinciis Germaniae laxius exercenda, ad regiones Italicas non adeo proferre ſolere. Sed, quamvis manifeſto demonſtraretur, omnia regalia Magnum Etruriae Ducem in ditionibus ſuis exercere, tamen poteſtas illa, quam beneficio Caeſarum is debet, vinculo, quo Imperio devinctus eſt, nil officit; uti pridem

fuit explicatum, Conceptum de ſuprematu genuinum ſi *Klockius* et alii ſcriptores ſibi formare fuiſſent anniſi, tanta dogmatum portenta minus conſpicerentur. Suprematus verus ſubjectioni, vel vaſallagio nunquam conciliatur, ac non ſolum regalium uſum, ſed praeſertim etiam ſtatum, a nemine pendentem, praerequirit ac res maximi momenti prorſus exiſtimatur. Sicubi quemlibet Principem Italiae ſupremum praedicare velis, quemadmodum quosdam ſcriptores, exigua nominis gloria, conatos fuiſſe, pridem obſervatum fuit, plura tandem emergent *Regna Nivetotia*. Nec ullus, qui vel terram, aliquot milliarium ſpatio comprehenſam, vel praedium trium jugerum, vel horti quoddam *Mirabellum* poſſideat, eſt futurus, qui ſpiritu regio minus repleatur.

XXXI.

Quicquid autem Pontifices quondam de gubernatione Florentiae civitatis diſpoſuerint et illam ſubinde ordinarint, creatione aliorum magiſtratuum ſuscepta, uti notatur *p. 10.* ad praeſentem quaeſtionem minus videtur pertinere. Pontifices, Benedictus XI nimis tempeſtive vita defunctus, et Clemens IV, quem pacem ſubin procuraſſe Florentiae, inteſtinis certaminibus vexatae, narrat *Platina in Vita Clement. IV.* ſcriptor alioquin candoris exigui, vere munia arbitrorum obiere, vel, ſi mavis, mediatorum. Ipſi enim, alio charactere inſigniti, hujusmodi negotium pertractare minus poterant, cum nemo ſerenae frontis putarit, Pontifici jurisdictionem aliquam, aut domini-

minium directum in regiones Italiae competere, ni titulus acquiſitionis juſtus doceatur. Si enim Papalis auctoritas ſeſe eo diffunderet, ut feudum ſedis Apoſtolicae illico cenſeatur ditio, quae aliquando auxilium, vel arbitrium Papale imploravit et obtinuit, jus Imperii mox evaneſceret, nec remaneret, niſi priſtinae facultatis moleſta recordatio. Pontifices jurisdictionem aliquam in Florentinum Ducatum unquam adfectaſſe, nondum liquet, licet olim civitas iſta opibus Guelphicis plurimum fuerit adjuta, ut Imperatoribus, qui juſtiſſime obſequia injunxere, melius reniti valerent. Econtra Carolum V Caeſarem, ipſo Pontifice flagitante, auctoritate Imperiali uſum, non ſenatorum forte, aut conſulum ordinem auxiſſe, vel minuiſſe, potius, priſtina forma civitatis prope abrogata, novum, Florentinis antehac omni modo declinatum, collocaſſe ſtatum, prolixe jam dum fuit commemoratum.

XXXII.

Quum autem *p. 10.* ulterius commemoretur, conditionem vaſalli, ipſi, conditionibus honeſtis additis, a miniſtris Caeſaris oblatam, repudiaſſe Alexandrum Mediceum et proin, Neapoli metu relicta, Florentiam mox rediiſſe, ut defenſionem ſuam diſponere poſſet, adverſus exules cives, forſan auxilio et voluntate Caeſaris, ſpretum vinculum aegre ferentis, ipſum aggreſſuros, a fabulae cujusdam indole minus videtur abhorrere. Equidem ſcriptores genuini recenſent, Florentinos quosdam cives Alexandrum,

quem dominandi libido nimis inceſſerat, coram Caeſare accuſaſſe. Conf. *Thuanus Hiſt. L. I.* Aſt Alexandrum tum, ut vaſallus Imperii redderetur, commonuiſſe demum Carolum V vel ejusdem adminiſtros, aut illum, quod Caeſarem bannitorum et exulum preces haud neglecturum fore opinaretur, ideo Florentiam clam reverſum, neque *Thuanus*, nec *Jovius*. aliive annales ejus aevi fide digni, memorant. Econtra Caeſar Alexandro, qui omni modo ipſi tum ſemet ſubmiſit ac fidem ſeſe et obſequia Imperio debere, nunquam negavit, multum gratiae teſtatus fuit, Margaretha filia naturali in matrimonium tradita. Unde *Thuanus* ait: *Alexandrum primum Ducem accuſatum a civibus apud Caeſarem*, FRUSTRA *tamen, quod contra praeſcriptum ab ipſo ordinem rem publicam adminiſtraret.* Ac quis crediderit, Caeſarem ac ejus adminiſtros prudentiſſimos iſtum jam eo promiſſione varia adducere voluiſſe, ut clientelarem habitum indueret, quem ſola Caeſaris gratia et auctoritas ad dignitatem Principis evexerat ac qui Mediceam tunc familiam, poteſtate ipſi tradita abutentem, vel beneficia ingrato animo penſantem, facili negotio ac ſummo jure iterum privare valebat, forma priſtina civitatis, quod tot cives efflagitabant, prorſus redintegrata et Mediceis ad conditionem priorem redactis? Igitur ſolum beneficio Imperiali auctoritas Mediceorum, quicquid Florentini quidam renitérentur, ſaepius quoque libertatis imminutae nimis memores, fuit corroborata, nequaquam autem juri Imperii in Florentiam aliquid detractum. Quamvis adminiſtri Caeſarei Alexandrum pro independente,

iſta

Digitized by Google

iſta ratione Principe habuiſſent, nil id efficit, quia error talis jura Imperii elidere nequit, utpura de quibus nec Caeſari ſoli, nec ejus adminiſtris ſtatuere ſic licet, ut amiſſis ipſis, inſignis jactura emergat. Neque praetereundum eſt, *Varchium*, unde hiſtoria rei hujus depromta, ſcriptoribus obſcuris et partium ſtudio deditis merito adnumerari, cujus teſtimonio *auctor comment. adverſ.* nequidem prudenter et circumſpecte uſus fuit, ipſimet ejusque relationi abunde repugnanti. Cum enim *Varchius p. 413.* commemoret, Alexandrum d. 5. Jul. An. 1531. in poſſeſſionem Principatus Florentini a miniſtro Caeſareo fuiſſe immiſſum, tredecim autem reformatores ſtatus demum A. 1532. creatos *p. 480.* perhibeat; nihilominus ab *auctore* iſto, reformatores Alexandro poſſeſſionem conciliaſſe, perperam exiſtimante, quaſi dogmati ipſius inſerviret, excitatur.

XXXIII.

Jam ab electione Coſmi I. Florentiae Ducis libera, ſuprematus ducitur argumentum *cit. pag. 10. et 11.* Sed, quemadmodum ſupra animadverſum fuit, civitates Italiae, antequam, immediato ſtatu perdito, Principum ac Ducum poteſtati ac gubernationi ſubjicerentur, ſemper conſules ſibi ac primarios publicae rei directores creaſſe, ſine ulla Caeſaris affirmatione (quem morem etiam adhuc hodie ſervant urbes Germaniae immediatae) ita quoque forma immutata, nihilominus id libertatis ſenatui ac civibus relinquebatur, ut Principem ſibi eligere poſſent,

qui

qui veluti in locum conſulis, ceteris paribus, ſucceſſiſſet. Carolus enim Caeſar id ſaltem juſſit, ut Florentini nemini alii gubernationem civitatis committerent, niſi cuidam ex domo Medicea, nec quidquam contra amplitudinem ipſius molirentur. Immo, quum praeceperit quidem, ut ad *proximiores Mediceae ſtirpis totius ejus praeeminentiae et dignitatis jura devolvantur*, adeoque, ſucceſſione introducta, liberam utcunque et ante ſuetam electionem excluſerit, tamen figura quaedam, vel umbra ipſius negotii remanſit. Neque poterant Alexandro, ob neglectas diplomatis Carolini clauſulas atque inchoatum nimis aſperum regimen interfecto, proleque deſtituto, liberi, prouti Caeſar voluiſſet, ſuccedere ac Laurentius, qui caedem illius procuraſſet, ſucceſſione indignus merito cenſebatur, Julianus autem de Medicis, qui *p. 10.* memoratur, ideo dignitati haud admotus, quia clericalem ordinem dilexit magis, quam Principatum, dein Archi-Epiſcopus Aquis Sextiis (Aix) factus. Ac forſan facinus fratris Laurentii odium Florentinorum, immo Caeſaris etiam, adverſus Julianum inſimul ſuſcitavit. Igitur tum Coſmo nemo proximior exſtitit, cum altera Mediceorum junior linea a Juvenco de Medices, unde Principes de Ottaviano, originem traxiſſet. Neque quis exiſtimarit, *Bernardum de Rieti*, qui tum *commiſſarius Imperialis* Florentiae commoratus, officii ſui partes neglexiſſe, cum is potius eo fine a Caeſare miſſus fuiſſet, ut auctoritatem illius omni ratione tueretur, ac Florentinos, ut diplomati et voluntati Caeſareae prorſus parerent, nec ab ejus norma deflecterent,

admo-

admoneret. Caeſarem diſſenſione ſua electionem Coſmi impedire voluiſſe, quis neget? Sed dum legitime ac juxta ejus intentionem peractam eam fuiſſe, intellexit, merito comprobavit. Qui etiam conſilia, a civitate Florentiae illo aevo inita, auctoritate ſua corroboravit, quicquid hocce negetur *p. 11.* Ipſe *Ludovicus Guicciardinus Rer. Memorabil. L. I. p. 109.* non alia conditione Coſmum gubernationem obtinuiſſe, quam ea, quae Alexandro praecepta, ait, ibi: QUO IN STATU eum ſtatim Imperator SUA VOLUNTATE CONFIRMAVIT. Minus autem terret inſcriptio, quae memoratur, cum verba: PLENIS LIBERISQUE SENATORUM VOTIS, ſint accipienda de voluntate Florentinorum libera, qua Coſmum Principem ſuum agnoverunt. Ante enim, prouti ſtudium diverſarum partium tulit, ſaepius quis ad gubernationem publicae rei penetravit, multis acriter renitentibus. Sed nunc *plene libereque* ſenatores, principatum Coſmo jure ſanguinis et privilegii imperialis jam delatum, declararunt. Equidem, ſi Medicea familia tanto beneficio a Carolo V cohoneſtata minus et Florentini gravem poenam, diplomate novas res moventibus injunctam, veriti, Coſmi et agnatorum exiguam rationem habuiſſent iſti, ſaevitiae et libidinis Alexandrinae nondum obliti, neque libertatis primaevae et immedietatis immemores. Denique nil obſtat, quod Carolus V Florentiae caſtellum Coſmo vendiderit, teſte *Juliano Goſellino in vit. Ferdinandi Gonzagae p. 16.* Contractus enim emti venditi ſuperiorem inter et inferiorem ſine laeſione ſupremi dominii celebratur atque

H hu-

hujus generis alienatio integro iſtius jure ſuſcepta omnino exiſtimatur.

XXXIV.

Ipſum *Inſtrumentum SCti de d. 9. Jan. 1536 ſub L.* quo XLVIII. virorum ſuffragiis Coſmus, Alexandro ſuffectus, publicae rei rector pronunciatur, demonſtrat, quam accurate ſenatores diplomati Caeſareo inhaeſerint atque omnia auctoritate Imperiali perfecerint. Praeſertim hae expreſſiones probe conſiderandae, ibi: *è conſiderato lo indulto, è* PRIVILEGGIO DELLA MAESTA CAESAREA, *altra volta conceſſo a ſua Exza, inſino l' anno 1530. di eſſer capo del governo della città* SUCCESSIVO, *e doppo la vita ſua, conceſſo ſimilmente a più alteri della Jllma Famiglia de Medici, in detto* INDULTO COMPRESI. it. SUCCEDERE SECONDO IL TENORE DI DETTO INDULTO, E PRIVILEGGIO. it. *ch'el* (Coſimo) *habbia la medeſima autorità, preeminentia, è podeſtà* CONCESSA LI PER DETTO INDULTO,E PRIVILEGGIO DELLA MAESTA CAESAREA. it. *habbia à ſeguitare l' ordine del* INDULTO PREDETTO DI SUA MAESTA. Quis igitur, *ſolis* plenis liberisque ſenatorum votis Coſmum regimini Florenti noadmotum fuiſſe, amplius autumabit?

XXXV.

Diſcuſſis nunc argumentis contrariis, hucusque ad-

adductis, ad cetera progredi fas eſt, quae porro pro ſuprematu Florentino demonſtrando anxie congeſta deprehendas. Primario provocatur *alleg. p. 11.* ad ſcriptores quosdam, tam Italos, quam Germanos, qui non erubuerint, ducibus Hetruriae poteſtatem, quam vocant, abſolutam et ſupremam adſerere. Aſt, quod *Arthuri Duckii* auctoritatem concernit, quantum ipſa valeat, oſtenſum fuit *§. IV.* ubi adhuc monendum, illum *Duckium* pariter ac *Mylerum*, Magnum Ducem Regibus Galliarum et Hiſpaniarum, intuitu ſummae poteſtatis, aequiparantem itidem, commiſcuiſſe perperam uſum regalium et perfectam ſubditorum regionis ſubjectionem, vinculo, quo Princeps ejusmodi illimitata poteſtate praeditus, Imperio nihilominus eſt devinctus. Obſervandum enim eſt, Principes, etiamſi ſubditis *deſpotice* imperent, alterius tamen vaſallos ligios exſtare poſſe, praeſertimque Imperii Romano-Germanici, cujus clientelam late protenſam neque Reges declinarunt. Quicquid ergo Dux Magnus Hetruriae, ſi reſpicias conditionem regiminis et ſubjectorum habitum, regibus et monarchis ſit comparandus (quae comparatio tamen nimium faſtum redolet, neque dubiis caret: vid. §. XXVI.) tamen a jurisdictione Imperii feudali nullibi exemtus, quum haec omnia invicem conſiſtere queant. Quidni ipſa *Majeſtas ſubordinata* concipi poſſit ſic, ut alteri competat *directo*, alteri *utili dominio*? Incongruum minus videtur, gradus iſtius rei dari. Majeſtas et jura majeſtatica non poſſunt a ſe invicem divelli, cum illa ſine juribus ad res non exiſtentes pertineret. Si igitur jura majeſtatica nexum

 xum

xum clientelarem haud reſpuant, cur non ferat ipſa majeſtas? Licet quoque majeſtas, vero et proprio ſenſu accepta, a nemine niſi DEO debeat pendere, nihilominus haecce regula non immunis erit ab omni exceptione. Dux Hetruriae igitur non gaudet vera majeſtate, vel ſuprematu quodem majeſtati finitimo, etiamſi jura majeſtatica exerceat, et analoga majeſtatis poteſtate utatur. Principes Germaniae, quorum plures potentia et auctoritate Florentinum longe vincunt, plura quoque regalia poſſident, neque tamen ideo majeſtatem ſibi aut ſuprematum, non ignorantes iſtam, vel ſuprematum longe ab analoga ejusmodi poteſtate diſcrepare; licet verbo ſuprematus, (*la ſouveraineté*) quandoque illam deſignarint, *latius* integriusque accepto, uti Elector Brandenburgicus in literis ad foederati Belgii ordines A. 1662. quas exhibet *Diarium Europ. Part. IX. p. 536*, adrogant. Adeo *exercitium* jurium regalium ab ipſius majeſtatis, aut ſuprematus axiomate remotum quandoque conſpicitur, neque feudalem habitum ditionis et Principis illico rejicit. Si vero urgeatur tandem, infinitos a *Duckio* et *Mylero* collectos fuiſſe auctores, quorum auctoritates *N. III.* exhibeantur, cenſetur, fruſtra numerari ſcriptores, praeſertim credulos aliorum ſectatores, ubi ponderandae ſint rationes. Conf. *Cocc. Juriſpr. Publ. C. XXXIII. §. 35.* ubi probe autumat, *numerare ſcriptores indignum JCto cenſendum eſſe.*

XXXVI.

Argumentum aliud *p. 12.* praebere debuit *Bulla*

Pii

Pii V Pontificis, qua Coſmo I dignitas Magni Ducis fuit conceſſa. Sed, quamvis teſtimonia, a Papa generaliter et aliis in cauſſis lata, magni ponderis habeantur, tamen, cum tota actio Pontificia a Caeſare merito irrita fuerit reddita, ac proin Bulla omnem auctoritatem perdiderit, neque teſtimonium inde pro independentia Ducatus Florentini jure depromitur. Quantum Pontifices, Itali, Italorum Principum cauſſam, etiam his non poſtulantibus, adverſus Caeſares tueri voluerint, patet. Atque, cum Papa non ignoraret, vaſallum Imperii ſine conſenſu domini directi, Imperatoris, novam dignitatem capeſſere non poſſe; ut commodius rem perageret, Ducatum Florentinum pro libero et ſupremo orbi obtrudere non eſt veritus, alioqui etiam juribus Caeſaris adverſus. Conf. *Thuan. Hiſt. L. XXXIX. et LI.* Igitur ejusmodi teſtimonia, cum ſuſpecti vitio laborent et a Caeſare Maximiliano II maxime fuerint reprobata, nil efficiunt. Praeterea, Papa iſte Caeſari, graviter conquerenti, cum expoſuiſſet ſententiam de poteſtate Ducis Florentini; quam recenſet *alleg. Adrian. L. XXI.* hic ſat declaravit, opinionem Pontificiam fundamento minus idoneo ſuffultam eſſe, atque Carolum V jura Imperii ſtrenuo modo adſeruiſſe, quae jam nemo, quisquis ſit, elidere poſſit.

XXXVII.

Mirandum porro eſt, *p. 13.* querelas moveri de ambiguis et vagis formulis, ſubtilitatem quae ſapiant, item clauſularum, diplomatibus inſertarum, in-

terpretatione. Nam haud opus eſſe videtur, ſubtiliter nimis rem eruere; cujus veritatem diplomata perſpicua et ſcriptores genuini ſincere produnt. Quis putarit, Caeſaream Majeſtatem et alios Europae Reges, foedere junctos, ſtatum Magni Ducatus Florentini clientelarem, fore propugnaturos, ni argumenta maximi momenti atque legitima idem ſuaderent. Facta, aſſertioni iſti juſtiſſimae quae videntur contraria, jam ſic expenſa fuere, ut quilibet, veritatis amans, perſpiciat, illa vel minus probe demonſtrata fuiſſe, vel feudale vinculum, quo Magnus Dux S. Imperio obſtrictus, nequicquam evellere. Econtra tot actus exerciti Imperatorii juris producti, ut hi gravitate ſua et veritate aperta alios, pro ſuprematus cauſa congeſtos, maxime antecellant. Inveſtituram diplomate Carolino ſat contineri, oſtenſum fuit, immo evictum, defectum illius et juramenti fidelitatis minus ſufficere, ut independens aliqua poteſtas hinc colligatur. Nec quiſpiam ambiget, quin plus probationis incumbat ei, qui inter tot regiones Italiae optimas ampliſſimasque, Imperii clientelis adſcriptas, ſingularem provinciae indolem contendat, quam jura, Imperio dudum parta defendenti et inhaerenti regulae, uſu longaevo generatim formatae. Mutatio omnis in facto conſiſtit, neque praeſumitur, ac proin, ſumma adhibita opera, eſt demonſtranda. Itidem conjectura, quae pro dominio directo Imperii in regiones, finibus illius comprehenſas, pugnat, tam fortis et idonea deprehenditur, ut neque poſſeſſio plenae libertatis, aliquo tempore continuata, illam evertat. Quamvis enim libenter concedatur, praeſcriptionem

nem plurium ſeculorum minus interruptam, exemtioni ab Imperii jurisdictione legitimam exhibere cauſam ac proin varias quondam Imperii Romani provincias, ſolo hoc titulo innixas, ſui plane juris evaſiſſe; nihilominus quaelibet haud praeſcriptio hic ſufficit. Nam magna intercedit diſparitas, ſi gens libera contra aeque liberam quid praeſcribat, cum Jus Gentium laxius hic vim ſuam exſerat, nec praeſcriptio ſaepius tanta cum injuria alterius conjuncta ſit, neque interruptio tam facili ratione ſuſcepta fuiſſe exiſtimetur. Si vero ſubditus, vel vaſallus plenam libertatem praeſcriptione acquirat, ex Juris Gentium regulis ſolis res haud metienda, utpura quae, uti dictum, tot uſucapionis requiſita aegre poſcunt, quot imperant leges, in ſocietate civili, ubi inter inaequales, imperantes et ſubditos clientesque egregia diſtinctio, receptae. Igitur, ſubdito, aut vaſallo exemtionem ideo urgente, quod praeſcriptione adjuvetur, magis de bona fide diſquiri par eſt, quia minimarum etiam ditionum poſſeſſores ad ſuprematum quendam ſemper adſpirarunt, occaſione jugum legitimum dejiciendi aliunde ſubminiſtrata. An non vero maxime laeditur Imperium, vel Regnum, ſi ipſo forte ab exteris hoſtibus impugnato, cives, qui fidem et obſequia polliciti, ipſi illud deſerant ac proin, ſuo commodo inſervientes, iſtius ſalutem deſtruant et vires infringant? Utrumne itidem facilius praeſcriptio ejusmodi interrumpitur, ſi v. c. ſuperior et dominus directus tributa et ſervitia a praeſcribente exigat, privilegiorum conceſſione refractarios ad fidem ſervandam alliciat, lites exortas ſententiis pu-

blicis

blicis et diplomatibus dirimat; quae cuncta inter liberas gentes locum non obtinent. Haec, ſi accommodentur ad Florentinum Ducatum, merito ſtatuitur, praeſcriptionem nullam urgere poſſe Magnum Ducem, cujus majores ipſi beneficio Imperiali Principatum debent, neque Florentiam, certam ante Imperii urbem immediatam, a nexu avellere potuerunt, tantis proteſtationibus ſemper contra Pontificum et Magnorum Ducum auſus peractis. Dein, ſi de exemtis provinciis, ad vetus Imperium Romanum ſpectantibus, quaeratur, facilius libertatem obtinuere, tot ſeculorum poſſeſſione, ampliſſima nunc Regna, quam civitates Italiae, intereunte Imperio, plurimam partem, a barbaris populis dirutae. Neque opus eſſe cenſetur, ut, quaenam jura Imperio hodie in Italiae regiones ſint vindicanda, ex latiſſimo quondam Romanae dominationis ambitu dijudicetur, cum Imperii Romani hodierni, et Regni Italici jura longe ſint diſcreta ac Reges Italiae demum poſt deſtructionem veteris Imperii Romani ſint exorti, qui ſua jura, ſive intuearis Gothos et Longobardos, ſive Francos et Teutones reliquos, ita tuiti et civitates Longobardicas, Tuſciae et alias continuere, graviter ſaepe perdomitas, ut de praeſcriptione aliqua cogitandi vix ſpatium fuerit relictum. Ac, licet quandoque Caeſares non illico conatus repreſſerint, aliis in Germania negotiis diſtenti, tamen poſſeſſionem libertatis alicujus, vel ſupremațus uſurpatione injuſta fultam, egregiis expeditionibus ſuſceptis mox interpolarunt. Enimvero *impedimentum facti*, cum apud privatos id operetur, ut praeſcriptio currere minus intelligatur, quidni multo magis juverit ſummos Principes?

XXXVIII.

XXXVIII.

Perperam vero *p. 14.* contenditur, *Art. V. Condit. Pac.* Caeſaream Majeſtatem et Foederatos, dum jura Imperii inFlorentiam adſtruantur, ſuprematum nihilominus Magni Ducis praetenſum agnoſcere. Nam totus contextus ſat docet, illum utique negari, et feudalem qualitatem vindicari, cum diſerte affirmetur, ideo rem iſta ratione fuiſſe ordinatam, ut, ob jura Imperii jam vere exiſtentia, omnibus litibus praeſcinderetur materia. Sane verbum: *Sine contradictione*, innuit, nunc Reges foederatos, et omnes contrahentium partes, ſi forte antea in praejudicium Caeſareae Majeſtatis et Imperii Magnum Hetruriae Ducatum independentem cenſuiſſent, nunc, ſine omni dubio, nexum feudalem iſtius fore agnituros. Poſtea dum cavetur, ut Imperatoria Majeſtas conſenſum S. R. Imperii conſummando negotio adferat, tum demum literis exſpectativae conficiendis adhuc magis liquet, indolem clientelarem *vetuſtiorem* praeſupponi, quam in concedendo tantum feudo Imperii, jam conſtituto, quod, apertum, domaniale jam bonum fieri debebat, ille conſenſus verſetur, non item conſtituendis augendisve nunc demum Imperii clientelis illi utiliſſimis, id quod a Caeſaris arbitrio prorſus pendet, quem in ejusmodi *cauſis favorabilibus* publicae rei, et ſalutaribus ad conſenſum quoque Statuum exquirendum, nullibi obſtringunt leges publicae, vel cauſam, ſi novus vaſallus recipiendus ſit (ſecus obtinet quoad jus ſuffragii) ad Comitia

 perti-

vorem Mediceorum ſingularem, fuit converſa, uti *diploma Carolinum* abunde innuit. Quemadmodum itidem Magni Ducis titulus eo fine Mediceis a Caeſare Maximiliano II indultus; quod iterum diplomatis verba clare innuunt, ibi: in FAVOREM DICTAE FAMILIAE MEDICEAE. Jam compertum quidem eſt, priſtinam immedietatem, exſtincta domu Medicea, a civibus urgeri non poſſe, cum iſta vario crimine ſemel ſit amiſſa, cujus abolitio jam nimis ſero peteretur, nec ab ullo alio, quam contra quem commiſſum fuit, ſuſcipi poſſet. Aſt, manente forma regiminis Principalis, ſuprematus tamen, ſi quis adeſſet, una cum gente Medicea fortaſſis exſpiraret, cum non appareat, cur minus ejusmodi jus quoque perſonae tantum ac familiae, inſtar privilegii perſonalis, cohaerere poſſit ſic, ut, quamdiu iſta regionem poſſideat, ab omni jurisdictione haec itidem immunis ſit, neque dominium cujusdam directum interea agnoſcat. Immo non ſup
rematus omnis, quamvis arctiſſime territorio ſit innexus, pares conſpiciuntur effectus. Supremi enim Principes etiam ii ſunt, qui facultate Principatum alienandi deſtituuntur, ac ubi quoque jura adhuc homagii eventualis et aperturae fuere reſervata. Subinde enim actus inveſtiturae, praeſtatio ſacramenti fidelitatis, immo ſervitia et contributiones *tacite* aut *expreſſe* remittuntur, itidem feloniae caſus conſtricti, quae res, paribus reliquis, ſupreматus ſpeciem conciliet. Tali econtra remiſſio-

ne non continetur libera de Principatu diſponendi facultas, quam, cum ſit res maximi momenti, alienaſſe ſuperior perperam exiſtimatur. Inde, quod Caeſares et Imperium aliquam circa vinculum clientelare libertatem Magno Duci permiſerint, eosque forſan liberius habuerint, quam alios Italiae Principes, jus ſuprematus elici nequit, de quo concedendo nunquam fuit aut actum, aut cogitatum. Quod ſi vero, uti ſat demonſtratum et poſtea magis adhuc evincetur, pactum ſucceſſorium ſine conſenſu Imperii condendi facultate juſte Magno Duci denegata, merito ditio Florentina et illae terrae, quae immediatis Imperii feudis accenſentur, inſtar domanii et boni Cameralis ad iſtud ipſo jure redeant, gente Medicea exſtincta, ac Caeſar, conſentientibus Statibus, alii forte provinciam iterum concedat, hic ad jura illa ſingularia, familiae Mediceae *ſingulariter* indulta, ac quae circa inveſtiturae, juramenti fidelitatis etc. materiam jam enumerata, provocare non poterit, cum ipſo momento, quo ultimus Mediceorum forte defunctus, dominium directum, cujus praecipuus effectus in jure aperturae ac conſolidationis ob mortem conſiſtit, utraque dominii ſpecies velut rurſus confundatur. Extraneus iſte non ſuccedit tunc jure quodam veteri familiae Mediceae, ſed novo prorſus, e collatione Imperiali dimanante, cui leges dein adjectae probe omnino a novo vaſallo cuſtodiri debent. Si amplius idem ſuprematum ſibi

indul-

indulgeri ac nexum clientelarem diſſecari contendat, quilibet formae Imperii Germanici gnarus colliget, hanc rem a ſolius Caeſareae Majeſtatis minus pendere tantum arbitrio, immo Statuum quoque praecipue ſertimque Electorum aſſenſum praerequiri, quem tamen voluntati Caeſareae, legitimo et ſalutari rei publicae fundamento innixae ac ſatis declaratae, conjungere non gravati facile, nec inpoſterum gravabuntur.

XL.

Nunc ſat liquet, non exſtare cauſam idoneam, cur Magnus Dux, intentionem Caeſareae Majeſtatis et Foederatorum juſtiſſimam impugnari poſſe, arbitretur. Quemadmodum Carolus V Imperator jura Imperii in Ducatum Magnum Hetruriae vindicavit, ac Mediceis poſſeſſionem Principatus conceſſit, ita quoque non conquerendum eſt, ſicubi Carolus VI Imperator jam Auguſtiſſimus, iſtam facultatem interire non patiatur. Commentum enim, quod Carolus V independentiam Florentiae ſartam tectamque reliquerit, ſupra prolixe rejectum fuit. Florentiae civitas ante Carolum prorſus ab Imperii jurisdictione libera haud exſtitit. Quomodo igitur poterat Caeſar rem intactam et illaeſam ſervare, quae ad non-entia ſemper pertinuit? Immo potius omni fiducia dicendum erit, quia Carolus V, nemine renitente, magis toto populo applaudente, formae civitatis Florentinae converſionem, rem maximi ponderis, ſuſcepit ac tam ſplendide ſolemniterque univerſae Italiae jura Imperialia oſtendit ac firmavit, multo magis

Caeſaream nunc Majeſtatem de ſucceſſione in Ducatum jam conſtitutum, exſtincta ſtirpe Medicea ſtatuere poſſe; et rem totam ordinare, prouti ſaluti et juribus Imperii, ac votis plurium Europae magnorum Principum, qui Germanico Imperio bene cupiunt, congruere videatur.

XLI.

Jam *p. 15. ſeq.* ad refellendum inprimis *Conringium*, quem larvam ſupremarui Florentino velut detraxiſſe omnium optime, animadvertebatur, proceditur. Hic vero Auctor, cum ea, quae de jure Imperii Magnum in Hetruriae Ducatum diſſeruit, non ex ingenio proprio depromit, ſed diplomatibus et Hiſtoricis, omni fide digniſſimis, facili negotio defenditur. Principio autem lubenter accipitur confesſio, *p. 12.* declarata, quod Florentini, cauſam ſuprematus tuentes, non habeant cauſam, cur Rudolphina venditione innitantur, utputa quae omnino pertineat ad commenta, ab Hiſtoricis ſaepius excogitata. Proin non opus eſſe videtur, ut de hacce re pluribus agatur, cum ipſi nunc quidem Florentini (qui tamen olim nullum aliud fundamentum libertatis proferre potuerunt, ſed, exemplum reliquorum Italorum, v. c. Luccenſium, ſtrenue ſecuti, in donatione et venditione Rudolphina ficta omne praeſidium collocarunt, uti ex ipſis domeſticis eorum ſcriptoribus paſſim apparet) falſitatem iſtius agnoſcant. Econtra exiſtimatur, libertate ſemper Florentiae civitatem eminuiſſe, ut prius iſtam, pecunia data, ac-

quirere non debuerit, teſtimonio *Vincentii Borghini*, ſcriptoris domeſtici, qui certas diſſertationes, *Diſcorſi*, compoſuit, ac inprimis hanc diſquiſitionem inſeruit: *Se Firenze ricomperò la libertà da Ridolfo Imperadore?* producto. Enimvero ſupra pridem oſtenſum fuit, Florentiae civitatem, Longobardis oppreſſis, imperio Francorum prorſus ceſſiſſe, ab ipſo Carolo M. iterum inſtructam, neque libertatem ipſius diſcretam fuiſſe ab illa, qua aliae quoque Longobardiae civitates, beneficio inprimis Ottonis M. Caeſaris, utebantur. Neque ipſe *Borghini* diffitetur, aevo Carolingorum Regum Comites quoque Hetruriae cunctis civitatibus fuiſſe praepoſitos, usque dum, Ottone M. regnum Italiae perpetuo jure Germanico Imperio vindicante, forma et regula per Comites urbibus imperandi ferme abrogata, hiſce facultas indulgeretur, propria auctoritate Conſules ſibimet deligendi, qui inpoſterum publicam rem gubernarent, jure Imperii utique integro permanente. Conceditur equidem lubenter *Borghino*, Florentinos Caeſaribus quandoque reſtitiſſe, ac Vicarios illorum recipere noluiſſe. Aſt hoc ideo non factum fuit, quod, ſeſe Imperio plane haud ſubeſſe, opinarentur, cum potius Legati ſemper ipſorum, ad Caeſares, in Italiae oris commorantes, miſſi, ultro auxilia, obſequia omnia obtulere, de fide populi ac ſubjectione ſancte proteſtati, modo Imperator privilegia, ab Ottone M. praeſertim data, linqueret ac habitum regiminis liberi minus immutaret. Plane Florentini probe animadvertebant, Vicariis ipſis impoſitis, facile contingere poſſe, ut iſti tandem, ipſa mandantis et domini ſpreta auctoritate, ſu-

pri-

primerentur, Principis dominatione impliciti. Non ignorabant, occaſionem itidem cauſamque funeſtis Italiae turbis, Fridericum I Caeſarem inter ac Mediolanenſes agitatis et ab hisce excitatis, praebuiſſe gubernationem Vicariorum, utputa qui non commodum Principis, ſed ſuum quaerebant. Mediolanenſes enim, qui itidem hoc beneficii ab Ottone M. obtinuerant, ut civitas minus per Comites Regios amplius, ſed Conſules ac Senatores, a populo electos, more olim populi Romani, adminiſtraretur, dominandi libidinem et ſtatum liberum et popularem evertendi, qua plerique Vicariorum flagrabant, aegre tulerunt. Neque incognita Florentinis Caſtrucii, Lucani, mens, qui ſub Vicarii nominis ſpecie eo contendebat, ut Florentiam quoque ſubjiceret, quemadmodum jam Lucam et alias vicinas civitates, privilegiis ipſarum neglectis, armis ſubegerat, magnum Ducatum in iſtis oris, etiam invito Caeſare, Ludovico IV, qui nimis fiduciae in eo Duce poſuerat, erecturus, ni mors repentina impediiſſet, Conf. *Machiavell. in Vita Caſtrucii.* Neque etiam Vicarii conſtitutio adeo neceſſaria erat, cum ſufficeret, omnes civitates, Vicariis ſingularibus deſtitutas, a Vicariis Italiae generalibus, ſaepius creatis, tantisper pendere, aut immediate prorſus Imperio parere, cui rei illuſtrandae argumentum, a civitatibus Germaniae immediatis ductum, delineatur. Immo exinde non parum quoque res declaratur, ſi civitates Helvetiae conſiderentur, quae eo tempore, quo Vicariis et Praefectis Imperialibus non amplius utebantur., nihilominus, quoad formam regiminis, absque his Imperio paruerunt, nec ad

ſupre-

ſupremaṫum quendam adſpirarunt illico, uſque dum tandem Pace Weſtphalica pro vera et libera Republica fuerint agnitae. *Conring. §. XXI.* Cum vero Caeſares cognoviſſent, civitates privilegio illo abuti, et ad majorem libertatem adſpirare, vel alius dominium directum agnoſcere velle, merito, Vicariis miſſis, jura ſua adſeruere. Hinc Henricum VII plures in urbibus paſſim Longobardicis, perfidiae et criminis perduellionis reis et proin graviter perdomitis, creaſſe, recenſent *Muſſatus in Vit. Henrici, Vecerius in Vit. Henr. p. 69. 70.* Atque eandem ſortem omnino fuiſſet ſubitura Florentia, ejuſdem delicti convicta, ni Caeſar optimus vita mature nimis defunctus eſſet. Igitur, quod Vicarios, privilegio criminis gravitate amiſſo, minus acceperint Florentini, gratiae Imperatorum tum acceptum retulerunt, qui beneficiis indultis privare ſemper valebant. Qua tandem gratia tamdiu abuſi, uſquedum Carolus V ſuperbientem urbem armis compeſceret, perpetuo nunc Imperii Gubernatore et Principe e familia Medicea Alexandro conſtituto. Quod egregium et recentius exerciti Imperialis in Hetruriam juris jam dum expoſitum fuit documentum. Ceterum ſcriptores, quos urget *Borghinus*, eandem cenſuram promerentur, quae de iis, qui in *Scripto adverſo* magno agmine collecti, initio *Refutationis* lata fuit, et adhuc explicabitur. Si *Borghinus*, vel alius quiſpiam voluit libertatis plenae, uti vocatur, Florentiae originem tam alte repetere, cur minus Hiſtoricos, qui antiquo illo aevo floruere, dogmati firmando erueret potius? Cum autem ii, qui de Caroli M. et ſequen-

Digitized by Google

tium Imperatorum expeditionibus, in Italiam praeclare ſuſceptis, commentati, *Eginhardus*, *Luitprandus*, alii, de ſupremaru quodam, vel perfecta Florentiae libertate ſileant, ac nil ex coaevis iſtis Annalibus et Hiſtoricis, qui ante Rudolphum I vixerunt, pro illa adduci potuerit, facile perſpicitur, quam leviter *Borghinus*, patriam ſuam, quicquid vellet, ſuprematu gaudere, contenderit.

XLII.

Praeſcriptio inprimis *p. 17. 18 et 19.* urgetur. Equidem abunde demonſtratur *§. XXXVII.* a praeſcriptione parum auxilii pro tuenda cauſſa Florentina revocari. Nihilominus, ut res evidentior adhuc reddatur, commoneri par eſt, *Grotium* et *Lampadium p. 18.* fruſtra allegari, cum ii de praeſcriptione et exemtione ab Imperii jurisdictione Romani generalius perhibeant, nulla ſpeciatim Florentinae libertatis injecta mentione. Nemo ambiget, quin JCti Itali fallantur, qui neque expreſſe concedi clauſulis quantumcunque praegnantibus, multo minus præſcriptione acquiri libertatem et immunitatem ab Imperio poſſe opinantur, quo pertinent inprimis *Cacheranus Deciſ. 163. Marta Neapolit. de Jurisdict. Part. I. c. 20. n. 21.* Conf. *Conringius de Fin. Imp. C. XXI. §. 1.* ubi idem exponit, quod *Grotius* atque *Lampadius.* Neque aliquis neget, praeſcriptionem optimum ſopiendis diſſenſionibus medium praebere. Verum ea cuncta ad rem praeſentem nil ſpectant, cum hic quaeratur, utrum Florentini jure ad praeſcri-

ſcriptionem, quae aliquando praeſidium iniquitatis exiſtit, provocent. Jam *alleg.* *§.* *XXXVII.* id fieri non poſſe, ſed tot interruptionis actus deprehendi, bonam fidem deficere et alia obſtare, fuit ſatis demonſtratum.

XLIII.

Poſthaec *p. 19.* ex *Camillo Gilino*, expeditionem Maximiliani I. Italicam qui enarrarit, demonſtrari poſſe exiſtimatur, Florentinos nequaquam fuiſſe obſtrictos, ut ſemet Imperatori ſubmitterent, quicquid *Bodinus* hac de re diſſerat. Sed qui verba *Gilini* curate ac ingenue perpendit, videbit, iſtum ſcriptorem *Bodino* minus adverſari. Enimvero, ut res probe capiatur, memorandum eſt, iſto aevo Italiam in duas ferme partes ſciſſam fuiſſe, quarum una Caeſari et Foederatis contra *Gallos* invaſores addicta erat, altera Gallorum caſtra ſequebatur. Ab iis, qui foedus adverſus Gallos contraxerant, Italiae civitatibus et Proceribus praeſertim diſceſſerat Florentia, ipſum Carolum IIX. ex Italia depulſum, ut rediret, flagitare non erubeſcens. Igitur Florentinos Caeſar merito admonuit, ut, Gallorum partibus relictis, ceteris Italiae civibus ſemet jungerent, auxilia Imperio ferrent, et tanquam ſubditi ejusdem cauſam ubivis tuerentur. Praecipue autem Oratores Caeſaris Florentinis declaraſſe, ex verbis *Gilini cit.* liquet, quod in memoriam deberent revocare, quot quantaque civitas a PRISCIS CAESARIBUS acceperit, neque ingratitudine et perfidia, omni poena ac privatione digniſſima, beneficia penſarent. Imo illa

K 2 innu-

Digitized by Google

innuunt, Oratores Florentinis gratiam Caeſaris ea conditione promiſiſſe, ſi ipſi ſocietati Gallicae renunciarent, ibi: *a ſe quoque paria exſpectari poſſe, ſi Florentini etc.* Annon autem haec formularum genera ſaltem locum ſibi vindicant, ubi ſuperiorem inter et ſubditos res agitur? Annon Maximilianus ad ea privilegia reſpexit, a prioribus Caeſaribus indulta, integra utique Imperii facultate. Neque Caeſar tum foedus forte cum Florentino populo ipſemet condere voluit, cum proprium jus foederum inter illos, qui a ſe invicem minus pendent, exerceatur. Potius juſſit, *ut Florentinus populus in* ALIORUM ITALORUM SOCIETATEM *trahatur*, prouti verba *Gilini* exprimunt. Ac quamvis aliquis, nimis ſubtiliter rem aeſtimans, verba *Gilini* quaedam in favorem cauſae Florentinae torquere ſatagat, ibi: *ſi fieri poteſt amice*, it. *vetuſtiores* AMICOS, *ac plura majora de eis meritos, videlicet Germanicum Imperium, ac Caeſarem praeſentem ſequantur*; nil flectit. Nam quis ſcierit certo, Oratores Caeſaris iisdem verbis fuiſſe uſos, quae *Gilinus* profert. Plane, ſcriptori iſti Italo, parum cognito, ni *Freherus Rer. Germ. T. III.* edidiſſet, ubique fidem tribuendam eſſe, quis dixerit? Ac, ſi Oratores Caeſaris mitius rem propoſuerint, ideo factum eſt, quod aliquando, ſubditos, opibus valentes, benignitate oſtenſa magis, quam verbis aſperis ad obſequia revocare, conducat.

XLIV.

Nunc *Gilino Bodino* conciliato, conciliandus quoque

que huic eſt *Guicciardinus*, quem *Bodino* etiam refragari ſtatuitur *p. 20. 21. et 22.* Locus autem, qui *ibidem* prolixe exſcribitur, iterum huc minus quadrat. Neque *Conringius de Fin. Imp. C. XXIII. §. 11.* ad iſtum provocat, utpute *L. III. Hiſt. Guicciard. ad A. 1496.* comprehenſum, potius ad eum, quem *L. VIII. ad A. 1509.* exhibet, ubi *Guicciardinus*, Florentinus ſic, ſuo idiomate, memorat: *A Verona ricevè* (Maſſimiliano) *il giuramento della fedeltà, e in quella Città gli Ambaſciatori Fiorentini, trai quali fù Piero Guicciardini mio padre; convennero con lui in nome della loro Republica, indotta à queſto oltra l' altre ragioni da' conforti del Rè di Francia, di pagargli in brieve tempo* QUARANTA MILLA DUCATI: *per laqual promeſſa ottennerò da lui* PRIVILEGII IN FORMA AMPLISSIMA DELLA CONFERMATIONE COSI DELLA LIBERTA' DI FIRENZE, COME DEL DOMINIO, ET GIURISDITIONE DELLE TERRE ET STATI TENEVANO etc. Nonne haec relatio congruit Bodini relationi? Utrumne ideo *Florentini legatos ad Caeſarem miſere*, ut OBSEQUIUM PRAESTARENT ET IMPERATA FACERENT? Cur enim in perfecta libertate conſtitutis opus fuiſſet, confirmationem privilegiorum, publico Diplomati inſerendam, IN FORMA AMPLISSIMA expetere et tantam penſionem praebere? Enimvero inter gentes liberas nullibi receptum, ut, cum ſemel independentia acquiſita, haec toties et modo eodem corroboretur, quo privilegia cujusvis generis, ſubditis indulta, a Principibus initio regiminis rata haberi ſolent atque debent.

Id indoli ſuprematus juris aegre convenit. Dein eandem quantitatem pecuniae, Caeſari acceptam, quam *Bodinus* innuit: AUREORUM QUADRAGINTA MILLIBUS, exponit itidem *Guicciardinus*: QUARANTA MILLA DUCATI. Quod confirmationem privilegiorum attinet, neque diſſentiunt, uti vel inſpicienti patet. Saltem *Guicciardinus* donationis Rudolphinae non injicit mentionem, a *Bodino* narratae. Verbo autem: PRECARIO, quo utitur *Bodinus*, ſi non uſus fuerit *Guicciardinus*, amore patriae ductо hic et rationem confirmationis conditionemque, Florentinis forſan haud adeo glorioſam, confeſtim praetereunti quidni ignoſcas? Unde nunc conſtat, Florentinos ſatis ſe ſubmiſiſſe Maximiliano, Imperatorem privilegia Florentiae confirmaſſe, nec *Bodinum* id affirmantem, ſomnii produxiſſe figuram, neque iraſcendum eſſe optimo Viro, *Conringio*, *Guicciardinum*, veritatis, a *Bodino*, iſto quidem caſu productae, teſtem proferenti, nec tandem hunccе iſti omnino contrariari.

XLV.

Quo autem nil prorſus haereat ſcrupuli, demonſtrabitur ex ipſo *Guicciardini* loco *L. III. ad An. 1496.* in *Script. Adverſ.* excerpto, quam perſpicue Florentini jurisdictionem Caeſaream tum agnoverint. Caeſar cum exigeret a Florentinis, ut Italiae defenſionem quoque ſuſciperent, neque cum extraneis contra ſalutem Imperii quidpiam molirentur, dein autem Piſanos injuriis minus laceſſerent, donec cauſa fuiſ-

fuiſſet cognita, ſat declaravit, Florentinis, utpuca Imperio pridem obſtrictis, foedus in praejudicium illius ineundi facultatem haud competere, immo cognitionem litis, inter ipſos et Piſanos agitatae, ſolum a Caeſarea auctoritate expectandam, ibi, quia id ad CAESAREAM AUTHORITATEM *pertinebat, illorum cum Piſanis cauſam cognoſcere.* Quae verba jurisdictionem tam clare innuunt, ut nec cum Arbitri, nec Mediatoris, nec alio munere conſiſtere poſſint. Ac vi hujus jurisdictionis, *inhibitionem*, quae illam omnino praeſtruit, ſimul decreviſſe Imperatorem itidem liquet, ibi, *ideoque cupere, ut donec ipſe omnium rationes audiviſſet, ab* INJURIIS ABSTINERENT, *quemadmodum Piſanos facturos certo ſcirent, quibus* IDEM MANDASSET. Neque praetereunda, quae ibidem de declaratione Caeſaris benevola; *ſe eſſe paratum ad* JUSTITIAM *indifferenter* ADMINISTRANDAM, traduntur. Hic autem Florentini, Caeſarem de iſta cauſa judicium ferre poſſe et debere, nequaquam negarunt, ut potius HONORIFICIS *verbis* ipſius *voluntatem commendarint*, ac maximam ſeſe ejusdem aequitati et gratiae fidem habere, demonſtrarint. Saltem per legatos monuere, ſe non prius, jura ſua cognitioni et ſententiae ut ſubjicerent, adigi poſſe, quam Piſae, qua urbe per vim ſpoliati, fuiſſent reſtitutae. Igitur, prouti in omnibus aliis judiciis fieri ſolet, quaeſtionem ſpolii praejudicialem moverunt Florentini ac prorſus ad CAESAREARUM LEGUM ſententiam et diſpoſitionem provocarunt. Reliqua etiam comprobant, Florentinos Caeſari ſemet ſubmiſiſſe et

cau-

cauſam Piſanam coram ipſo, tanquam Judice competente, voluiſſe pertractare, ibi: AEQUITATIS CAESAREAE *plane perſuaſam* etc. Arbitrium autem quoddam ex *Guicciardini* relatione fruſtra elicitur, cum illa vox accipiatur quoque ſaepius pro *arbitrio judiciali, a compromiſſario* longe diſtincto. Nec de arbitrio hujusmodi proprio, Caeſari ab utraque parte delato, ullibi diſſeritur. Interim petitionem Florentinorum de reſtitutione ſpolii merito rejicit Imperator, cum animadvertiſſet, ipſos, hoc praetenſo, id agere, ut intentionem ipſius juſtiſſimam eliderent. Nam etiam ſine poſſeſſione Piſarum Florentia debuit aliis civitatibus, patriam defenſuris, ſemet conjungere. Neque ſpolium aderat, ubi civitas libertatem, injuria perditam et oppreſſam, recuperaverat, aliorum praeſidiis adjuta. Quare Maximilianus, protervíam Florentinorum aegre ferens, dein ad debellandos iſtos progreſſus, Piſanis haud ſine legitima cauſa favens. Exitus felix, ni alia negotia Caeſarem impediiſſent, juri ſuo, reditu in Germaniam ſuſcepto, nil renuntiantem, magis poſtea iſtud ſtrenue exercentem, de quo *ſ. praeced.* actum fuit. Nondum vero liquet, Maximilianum, Florentinos in gratiam recipientem, novam Piſarum acquiſitionem confirmaſſe, cum civitas, excutiens jugum nimis aſperum, aCaeſare privilegiis,immedietatem Imperii complexis, fuiſſet communita; uti ſupra fuit enarratum. Vix ergo Piſae, quae diſerte magis exprimendae fuerant, continentur verbis apud *Guicciardinum L. 11 X.* ibi; *come del dominio e giuriſditione delle* TERRE *e* STATI *teneuano?* Ipſi Florentini Galliae Regi, apud

Guic-

Guicciardinum L. VII. ad A. 1507. in fin. reſponderunt, recurſum ad Caeſarem, in cauſa Piſana, tuituri: *la neceſſità havergli indotti a mandare a Ceſare etc. per cercar di* ASSICURARE *in caſo paſſaſſe in Italia le coſe proprie; lequali il Rè nella capitolatione fatta con loro non ſi era voluto obligare a difendere contra Ceſare, mà il' haveua eſpreſſa dentro la* CLAUSULA SALVE LE RAGIONI DELL' IMPERIO: *e nondimeno* NON HAVERE FATTO CON LUI (Ceſare) CONVENTIONE ALCUNA. Unde colligitur non ſolum, quantum Florentini Imperii jura reſpexerint, ſed quoque, quantum Caeſar preces, de reſtitutione Piſarum conceptas, reſpuerit, ipſis adhuc ob denegatas An. 1496. praeſtationes graviter ſuccenſens, neque immunitatem a regimine Florentino, Piſanis indultam, naturae gnarus privilegiorum Imperialium, illico ſine cauſa legitima ſublaturus.

XLVI.

Invehitur *p. 22. et 23. pr.* in P. Jovium, quod ex inſtituto rationem texiſſe, qua Medicei ad Principatum Florentinum pervenerint, intelligeretur. Hinc teſtimonia *Voſſii* et *Lipſii* producuntur, qui *Jovio* Hiſtorici venalis encomium tribuerint. Sed, quicquid alii judicent, praecipuis recentioris aevi Hiſtoricis adnumeratur ac totam rem non ex ingenio effinxit ille, potius ad Diploma Carolinum ubivis provocans, quod pro unica hic norma habendum eſt. Tractatus Barcinonenſis *Articulus IV.* nil ad praeſentem materiam conducit, ac ſi genuine explicetur, auctoritatem Im-

perialem magis deſignat ; quemadmodum antea copioſe explicavimus. Neque *Jovius* a *Guicciardino* diſſentit. Utrumque , ut ſincere profiterentur , veritatis adegit vis , licet Germanis minus favere intelligantur. Conf. *§. XXIV. et ſeq.* Equidem, ſi Hiſtoricus coaevus partium ſtudii aliusve vitii coarguatur, liquido docendum eſt , illi cum aliis ſcriptoribus , itidem coaevis , minus convenire; hos autem diſſentientes e monumentis, fide dignioribus, ſua depromſiſſe.

XLVII.

Mirandum vero eſt, cur *p. 23.* ideo Conringius pro jure Imperii fruſtra pugnare cenſeatur, quia is *Praefat.* ſe quoque labi poſſe, declaravit. Enimvero ejusmodi ingenua confeſſio majorem ſcriptori conciliat auctoritatem , quam ſi ſemet nec fallere , nec falli , arbitretur. Sufficit , *Conringium* hac in cauſa amori erga Germaniam haud nimis indulſiſſe , qui , ubi jura Imperii in dubio verſantur, mavult judicium ſuſpendere , quam, defenſa audacter Imperii cauſa, Principum aliorum jura offendere. Conf. *§. XLI.* Quod ad *Decianum* attinet , nil hic refert, cujus notae Auctor habeatur , cum ipſius teſtimonio nec *Conringius* nitatur, nec nunc ſit nitendum. Potius id agendum eſt, ut objectiones , quae *p. 24. ſeqq.* moventur, rejiciantur. Principio *Regula Juris* negari nequit, quae eo redit , ut privilegii conceſſio conſtituat certiſſimum jurisdictionis argumentum. Privilegium eſt jus quoddam ſingulare ; juris autem omnis generis condendi poteſtas ad eos ſpectat, qui ſummo in Republica imperio

rio eminent. Ab hac privilegii indole longe diſtat aliorum jurium datio. Nam quandoque gens libera alteri facultatem, vel exemtionem in ditionibus ſuis indulget, titulo ſervitutis aliove exercendam ita, ut, quae conceſſit, jurisdictionis actum minus perficiat, et lubenter quilibet agnoſcat, nil damni accerſere independentiae Regis Luſitaniae, ſi Magnus Hetruriae Dux Luſitanis exemtionem a vectigalibus in ſuis terris conciliaret. Verum, ſi haec ad Florentinos accommodentur, non id impetravere tantum a Caeſaribus, ut *privilegiis*, *gratiis*, *exemtionibus*, *et libertatibus*, *per totum Romanum Imperium et ubique locorum utantur etc.* Sed privilegia, proprii territorii augmentum et utilitatem concernentia, itidem obtinuerunt. Plane quondam etiam Friderici I. aevo, omnia Regalia in Italiae oris, praeſertim Longobardiae et Tuſciae, apud Caeſarem perſtitiſſe, ex *Sigonio* probatum fuit *§. X.* Quomodo igitur Florentini Regalia, quae in territorio locum ſibi vindicant, nec illud egrediuntur, acquirere potuerint, niſi beneficio Imperiali? Ipſi Veneti nequidem diffitentur, plurima ejusmodi; jura ipſis ab Imperatoribus ſenſim et Italiae Regibus fuiſſe indulta, cujus rei exemplum profert *Auctor Scrutin. Libert. Venet. C. XVI. §. 49.* Neque intereſt, an Regalia jura expreſſo diplomate, an vero praeſcriptione, aut conſuetudine invaluerint. Praeſcriptio enim juris Regalis, quae a ſubditis ſuſcipitur, privilegii *taciti*, quod idem operatur, quam *expreſſum*, vices ſuſtinet. Illius clauſulae, quae jubet, privilegiati omnibus *privilegiis etc. per totum Romanum Imperium etc. utantur etc.* vires ferunt, ne alii Romani Imperii ſubditi privilegii

 uſum

uſum impediant. Cum ſuperior privilegium indulget, praecipi una ſolet, ut reliqui hocce privilegium agnoſcant; alioqui aemulatione ac invidia reliquorum facile eliderctur. Neque ullibi apparet, Florentino populo ejusmodi jura a Caeſaribus ceſſa, quae per totum Romanum Imperium, adeoque ultra territorii limites, in ditione veluti aliena valerent exercere. Immunitatem nunquam pararunt a vectigalibus vel aliis praeſtationibus, quas liberae gentes a ſe invicem exigere conſueverunt. Immo vox, GRATIIS, non obſcure innuit, velle Caeſarem, ut Florentini pro veris civibus Romani Imperii habeantur, qui jus civitatis vere adepti ſint; quod olim, quoad tuitionem, a Caeſare contra hoſtes exteros praeſtitam, convocationem ad Imperii Comitia, etiam Teutonica, aliquando mandati modo peractam, et alia praecipue ſemet exſeruit. Si cives Imperii Romani Florentini non exſtitiſſent; ſed ſeparatam ab illo gentem, ſui juris redditam, effeciſſent, cur Comitiis, inprimis Italicis, ſemet immiſcere debebant, defenſionem ab Imperatoribus petere, ad privilegia Caeſarea provocare?

XLVIII.

Porro *cit. p. 24. 25. et 26.* contenditur, verba privilegiis inſerta, *utque in fide et devotione etc.* protectionem ſolum deſignare, cum titulus non praecedat et adſit, qui ſubjectionem, aut Vaſallagium producat. Aſt ſat delineatum fuit ſupra, quot titulis Caeſares Romano-Teutonici jurisdictionem in civitatem Florentinam obtinuerint, ſtrenue dein exſequuti.

Non-

Nonne titulus idoneus, ſi Princeps ſuis ſumtibus urbem, dirutam, reſtauret intra fines Imperii ac in ejusdem ſolo? Nonne titulus magni momenti, cum populus tributa praeſtat ac privilegia expetit? Annon titulus, cum edicta publica emittuntur et civitati praecipitur, ut obſequia praebeat, nec contra Imperium quid moliatur? Utrumne titulus aptus, ſicubi civitas, criminis laeſae Majeſtatis damnata, priſtina regiminis forma privatur, perpetuus Imperii Gubernator ei imponitur ac novus ſtatus auctoritate publica concinnatur? Quidni titulus, cum Principi cuidam dignitates adjiciuntur publicis diplomatibus, quas gentem liberam alteri concedere non poſſe, mox demonſtrabitur? Vid. *§. VIII. XII. XIII. XVI. XVII. ſeqq.* Igitur, tot titulis exſtantibus, verba: *fides, devotio*, non fruſtra in privilegiis paſſim expreſſa fuere, ſed idcirco, ut jus Imperio pridem partum, nullo non aevo firmaretur ac declararetur. Equidem quis aeque diffiteatur, vocem: *fides*, interdum protectionem tantum innuere, quae jurisdictionem minus pariat. Nihilominus regulariter ac quoties publicis diplomatibus *fidei* aut *fidelium*, injicitur mentio, vaſalli ſubditique merito intelliguntur. Is enim conſtans olim Caeſarum atque Regum uſus extitit, ut diplomatibus et edictis publicis ſubditos *Fidelium* nomine compellarent, uti infinitae *Chartae* evincunt. Jure Feudali Longobardico, cujus juxta normam res tota dijudicanda eſt, quia de Italico territorio diſquiritur, vox: *fides* it. *clientela*, utique pro ſimplici protectione minus accipitur. Natura protectionis ſicubi eruatur, quis dixerit, protectorem tributa et penſiones extorquere poſſe, cum iſti

ex conventione nil aliud debeatur, quam pecunia certa, quam Teutones vocant: Schutz-Geld; Atqui Caeſaribus vera tributa praebuere Florentini. Igitur ii non ſolum protectione, ſed poteſtate quoque in civitatem iſtam fuere uſi. Quodſi nihilominus, Caeſares protectionem Florentiae ſibi adſeruiſſe, quis ſtatuat, nil errat, cum ſummi Principes ſubditorum itidem ſuorum defenſores exiſtant. Nam imperium ſummum et protectio divelli nequeunt, quum haec ex illo dimanet, immo ſubditi tributa praebeant, ut tali tuitione ſuperioris commodius frui poſſint. Id vero quoque animadverſione dignum eſt, nullibi civitatem Florentiae, etſi libera et independens exſtitit, Caeſaribus defenſionem ſui detuliſſe, nec id factum eſſe, conjiciendo tantum probari poſſe. Immo, ſi de plena libertate civitatis, in medio veluti Imperii ſitae, quaeratur ac dubium oriatur, utrum ſubjecta eadem ſit, an potius aliquid ſaltem protectionis Imperio competat, magis pro ſubjectione conjiciendum foret. Amplius vox: *devotio*, ſi juxta indolem ſuam expendatur, nunquam cum protectione ſimplici conſiſtere valet. Nam devotio inſignem innuit obedientiam atque pro ipſo tributo, vel tributi illatione ſaepius accipitur, quum devotio apprime debeatur in ejusmodi collatione, immo haec illius deprehendatur effectus. Vid. *du Freſne Gloſſar. Part. I. T. 2. f. 72.*

XLIX.

Quae alleg. *p. 26.* de protectione ulterius diſceptan-

ptantur, omni uſu deſtituuntur. Enim vero, cum Caeſar *Tract. Barcinon. Art. XIV.* Familiam Mediceam, qua etiam Papa comprehenſus, in patrocinium ſuum receperit, ſic accipiendum eſt, ut Mediceis ſingulare ac ejusmodi *Protectorium* veluti dare voluerit, quod hodieque ab Imperatore ſubditis S. R. Imperii adverſus laeſionem aliorum civium concedi ſolet. Atque protectorii vis ſat ſeſe poſtea exſeruit, cum Florentiae civitas auctoritate Imperiali ad obſequium reduceretur. Quod autem Papa Caeſari protectionem promiſerit, ſolemnitate potius aliqua externa peractum fuit, praeſertim cum Carolus Pontificia tutela nequidem tunc indigeret, ipſemet ſupremus Romanae Eccleſiae Advocatus atque Defenſor. Equidem lubenter jam ſupra conceſſum fuit, Principes quoque ſummos ſeſe alteri in protectionem dare poſſe, ſalvo ipſorum ſuprematu et majeſtate. Sed conſtanter negatur, Caeſaribus tantum protectionis jus in Florentiam competere, vel competiiſſe, cum omnes actus Imperialis juris, prolixe jam recenſiti, plenariam ſubjectionem deſignent, minus protectionem ſaltem, quae ſingulari pactione invaleſcere ſolet, vel moribus etiam conciliari. Adeo a diverſis ad diverſa non fieri debet illatio. Sicubi expeditus foret titulus ille, quem urgent, protectionis, a ſubjectionis indole remotus, quis res diverſas commiſceret? Sed, quia protectionis titulus nullibi apparet, econtra ſubjectionis et vaſallagii clariſſima veritate innititur, merito omnia, de iſta re hucusque prolata, exploduntur.

L. Ne-

L.

Neque iterum ad rem pertinet, quae circa poenam Decreto Caeſareo adjectam, *cit. p. 26. et 27. pr.* monentur. Nam illud Decretum pro *Arbitrali*, uti vocant, minus habendum eſſe, demonſtratum §. *XXIIX* ita fuit, ut cur quidpiam adjiciendum ſit, aegre pateat. Socium a ſocio adigi poſſe, ut legibus foederis ſtet, itemque arbitrum poenam imponere poſſe, haud negatur. Sed praeterquam quod ad objectionem a foedere repetitam, ſat reſponſum itidem fuerit §. *XXIII. et ſeqq.* ſententia etiam *Grotii p. 27. Lit. A.* citata, eum in modum capienda eſt, ut ſocius ſocium puniat veluti ex tacita conventione, quae foederi ineſt, vel expreſſa quoque. Atque omnis illa poena *conventionalis* appellatur, ac Juris gentium eſt, a *legali* autem longiſſime diſcrepat, ex ſuprema in Republica poteſtate et jurisdictione dimanans. Jam Decreti Caeſarei verba *imperativa* magis ſunt, quibus ſocius in ſocium, inaequalem quamvis, uti non poteſt. Quis crediderit, eo facultatem puniendi, quam in foedere locum ſibi vindicare contendit *Grotius*, proferendam eſſe, ut ſocius ſocio publica ſententia et conſtitutione pecuniariam mulctam indicat? Talem poenam dignitas populorum liberorum et ratio exigendi difficillima minus patiuntur. Potius more inter gentes recepto, i. e. armis, adigendus eſt is, qui a foedere recedit, ut promiſſis faciat ſatis. Deinde norunt cuncti, tunc a delectis arbitris laudo poenam inſeri poſſe, ſi diſerte

a par-

a partibus cautum fuerit. Nemo autem hucusque oſtendit, illam mulctam indicendi poteſtatem ſolum a partibus Caeſari fuiſſe delatam. Omne hujuscemodi compromiſſum peractum fuiſſe, in dubio aegre colligitur, cum ab iſto controverſia deciditur, qui jure Regiae poteſtatis, conſtanti tot ſeculorum uſu, lites totius regni definiit, inter Proceres ac civitates ſaepius exortas. Neque judices ordinarii arbitri eligi poſſunt, praeſertim ſicubi non vulgari, ſed ſumma emineant Regalique jurisdicundi facultate.

LI.

Statuitur iterum *p. 27. et 28.* ab electionis Coſmi I. approbatione argumentum nexus feudalis fruſtra depromi. Verum, quicquid Senatus Florentinus, ſumma declarandi Principis poteſtate fuerit inſtructus, electio tamen peragi debuit juxta Decretum Caeſareum ac peracta quoque fuit. Confirmatio quoque Imperialis univerſum negotium demum firmavit, quae tum inveſtiturae locum obtinuit. Sicubi ad Imperatorem jus ſaltem protectionis ſpectaſſet, non indigebat iſta electio Imperiali confirmatione, cum indoles tutelae eo non pertingat. Confirmatio autem ejusmodi certiſſimum dominii directi et nexus documentum praebet, cum apud liberos populos et Principes, ab ipſis electos, nequicquam obtineat. Ita, ut res paululum illuſtretur, confirmari olim Pontifices, alioqui a Clero et Cardinalibus lecti, fuere a Caeſaribus, quod his illi ſubjecti erant. Vid. *Sigon. de R. Ital. pr. Platina in Leone VIII. Mabillon. Itinerar. Ital.*

Tom. II. p. 114. Etenim, praeter ſimplicem protectionem, jus haud exiguum Imperatoribus competiiſſe, nec diffitetur ipſemet Pontifex, Pius V. *L. II. Epiſt. 19 et 25.* Praeterea Strozzius ac reliqui, novum Principatum aegre ferentes, facile potuiſſent majores atque Mediceorum potentiae moleſtas excitare turbas, ni dominatus horum auctoritate Imperiali fuiſſet innixus. Atque hoc non ignorabant banniti, qui a Caeſare auxilia fruſtra flagitabant, potius Coſmo privilegia, Alexandro ante indulta, confirmante. Immo, quum Strozxius iſte et alii refractarii interficerentur adeoque a Coſmo de Medicis optima pararetur *medicina*, id ſine Caeſaris praeſcitu voluntateque minus contigit, qui, illos, utpote mandatis Caeſareis frivole renitentes, non poena ſolum iisdem inſerta, ſed capitali etiam digniſſimos eſſe, judicavit. Neque autem ea, quae de vi confirmationis Caeſareae prolata, infringunt relationes *Adriani et Cini alleg.* Nam his ſcriptoribus, qui id ſui officii duxiſſent, neglecta itidem veritate, pro Principe ſuo ſcribere, parum fidei tribuendum eſt. Equidem nemo negarit, Coſmum ſaepius ſeſe paulo elatiorem geſſiſſe, praeſertim civibus, qui obedire neſciebant, ſublatis, ac Caeſare, Carolo V. Imperio vitaque defuncto. Ferdinandum enim I. negotia Germaniae graviſſima ab Italiae oris inviſendis et faſtu compeſcendo ferme retinebant; quamvis nihilominus Principes Italiae omnes in fide perſtiterint, et Imperatorem Teutonicum pro Rege Italiae ac ſupremo domino agnorint, Legatis Ferdinandi a Pontifice etiam, nomine velut totius Regni, *perhonorifice* ſuſceptis. *Thuan. Hiſt. L. XXI. p. 629.* Suffecerit tamen pro-

produxiſſe hic teſtimonium ejuſdem *Thuani*, Hiſtorici plane exteri, qui *L. V.* memorat: *Coſmum benevolentiam Caeſaris*, in cujus CLIENTELA *poſtea* CONSTANTISSIMUS *fuerit*, FIDE *et* OBSEQUIO *demeritum eſſe*, *et Pontificis infeſtiſſimi aſtus eluſiſſe etc.* Neque minus notatu digniſſima exſtant verba cit. Hiſtorici, cum *L. XXXVI.* ſervitia militaria contra Imperii hoſtes, Gallos, praeſtita ſic ipſe recenſet: *Coſmus in* GRATIAM *Caroli V. Caeſaris*, *ut ea dignus*, *ſe inſinuavit*, CUJUS PERPETUO SIGNA CONTRA NOS (Gallos) SECUTUS EST. Voce autem *Signi* prorſus hic intelligitur *Signum ſervitium*, de quo congeſſit varia *du Freſne Gloſſar. P. II. Tom. 3. f. 862.* Supremi Principes ſigna alterius ſequi non ſolent, nec dicuntur; potius, ſi una bellum gerant, ob ſocietatem foedusve initum ac nomine *auxilii* ſaepius id agere intelliguntur. Neque praetereundum eſt, confirmationem Imperialem iſtam prorſus innixam fuiſſe, neque plus a Caeſare petiiſſe juris Coſmum, quam Alexandro fuerit indultum, uti ipſe *Adriani* confitetur, ajens, *non chiedendo in nomine di Coſimo*, CHE LA CONFERMATIONE DEL FATTO E I PRIVILEGII CHE AVEVA USATI IL DUCA ALESSANDRO. Jam, ex decreto iſto ſatis probari nexum clientelarem et jurisdictionem Imperii, ſupra prolixe oſtenſum fuit. Saltem tacite forſan ſacramenti praeſtatio et inveſtiturae ſolemnitas Alexandro remiſſa. Quare eandem circa vinculum feudale libertatem urgebat forte Coſmus, inveſtituram hic minus neceſſariam eſſe, contendens, neque immerito. Conf. §. XXX. Immo

M 2

mo *Charta confirmatoria* jurisdictionem Imperii abunde coarguit, et verbis gravibus ſervat. Etiamſi Caeſar dogmata erronea, de ſuprematu quodam Florentino producta, agnoviſſet, quod tamen de tanto Principe, jurium Imperii acerrimo ſemper aſſertore, audacter quis conjiceret, quid haec, ſine conſenſu Statuum peracta, illa diminuere, aut elidere valuiſſent?

LII.

Ampliùs *p. 28. et 29. pr.* egregium hinc ſupre- matus documentum elici poſſe exiſtimatur, cum, quoad inveſtituram Senenſem, ditiones Ducis liberae a feudalibus fuerint diſtinctae, cautumque, ut *nulla jurisdictio nullumque jus modo aliquo Regiae aut Caeſareae Maieſtati quaeratur, quaeſitumque eſſe intelligatur, ratione dictae infeudationis.* Aſt intelligendum eſt, totum contextum evincere, id ſaltem fuiſſe actum, ut, licet Magnus Herruriae Dux intuitu Senarum vaſallus effectus fuerit Regis Hiſpaniarum (Philippi II.) id dominii directi juſtis cohibeatur limitibus, neque ad alia bona iſtius proferatur, ibi; *contineantur duntaxat bona etc.* it. RATIONE DICTAE INFEUDATIONIS. Neque apparet, qua ratione Philippus, Hiſpaniarum Rex, Coſmo territorium Senenſe, ſibi paulo ante a patre, Carolo, traditum, in feudum concedens, potuerit de juribus Imperii, tanquam tertii, ſtatuere? Nam Carolus V, jam An. 1556. dignitati ac poteſtati Caeſareae ſolemniter renunciarat, neque proin illi negotio, Anno 1557. demum celebrato, tanquam Imperator intereſſe poterat.

terat. Ferdinandus vero I. tum Caeſar, illam rem approbaſſe, vel circa ſubinfeudationem illam quidpiam in praejudicium Imperii ſuſcepiſſe, nullibi legitur. Igitur verba: *Caeſareae Majeſtati*, pro inanibus et ſuperfluis (prout in ejusmodi diplomatibus, incuria ſcribentium, vel alia ratione ſaepe contigit) ſunt habenda. Quicquid itidem Caeſar hic conſenſiſſet, nec illud Imperii facultatem ſtatim ſubvertit. Nam ſi Charta aliqua juri Imperii quid detrahatur, vel illud, antea ſtrenue vindicatum, nihilominus *expreſſe*, aut *implicite* dimittatur, voces: *Caeſarea Majeſtas et Imperium*, connecti ſolent atque debent.

LIII.

Maxime vero miretur aliquis *p. 29.* verba: *noſtrum et Sacri Romani Imperii fidelem* etc. adeo torqueri. Animadverſum enim *ſ. XLIIX.* fuit, verbum: *Fidelis*, Diplomati Caeſareo inſertum, conſtanti Germaniae uſu vaſallum, ſaepius ſubditum quoque deſignare, nequaquam talem, in quem protectionis jus ſolum exercetur. Neque Caeſares unquam alio magis verbo ſubditos ſuos et vaſallos compellarunt. Conf. *du Freſne Gloſſar. P. I. T. 2. ſ. 427.* verb. *Fideles Regis.* Neque ad rem pertinet, quod ex *Knipſchildio* affertur. Nam, licet forſan exempla adduci poſſent, protectores clientes ſuos nominaſſe *Fideles*, (quod tamen a *Knipſchildio* haud factum) nihilominus, iſtos vocabulo valde abuſos, facile colligitur. Plane ex iſta terminorum commiſtione ſenſum confuſio ipſorum jurium progignitur. Ac intereſt ipſorum, qui

protectioni ſubſunt, aliena ac majus jus involventia verba hic exulare. Contingere mox tum poteſt et ſolet, ut *patientia in jus tranſeat*; quem in modum diſſerit *Grotius de Jur. B. et P. L. I. C. 3. §. 21. n. 11.* ac protectionis facultas in aliam fortiorem, nimirum ſubjectionis, aut vaſallagii, transferatur. Immo nec deſunt, qui, praeſertim hodie, omni Advocatiae jurisdictionis multum una inſitum eſſe, arbitrentur. Si demonſtraretur, ſupremos quoque Principes a Caeſaribus aliquando *Fideles*, integra illorum independentia, fuiſſe appellatos publicis *Diplomatibus*, majorem id contrariae opinioni ſpeciem praeberet. Sed demonſtrari nunquam poterit. Equidem plures olim Reges etiam *Fideles* Caeſaris atque Imperii, *Chartis* variis audiere. Verum ii revera vaſalli exſtitere, et proin nomen ejusmodi conſequuti, prouti de Daniae, Poloniae etc. Regibus quondam conſtat. Vid. *Conringius C. XIV. et XIIX. tot.* Circa axioma: *Magnificus*, Coſmo de Medicis diplomate adſignatum, adhuc monendum eſt, vel inde auctoritatem Imperii conſtare. Enim vero iſte titulus publicis *monumentis* ſupremis Principibus tribui nunquam ſuevit, cum illo quoque alii, in dignitate aliqua, vel eccleſiaſtica, vel ſeculari conſtituti, fuerint cohoneſtati. Nec iſte tantum complectitur, quantum axioma *Illuſtris.* Hoc enim ipſi quondam Francorum Reges uſi fuere, quod ex eorum diplomatibus apparet apud *Doubletum Hiſt. Sandionyſiana p. 665. ſeqq.* Dein *Spec. Sax. L. III. Art. 58.* Principes diſerte illuſtres vocantur, ibi *illuſtris* SEU *Princeps.* Add. *Diploma* Henrici VI. Ludovici IV. et

Caro-

Caroli IV, Imperatorum apud *Meibomium Rer. Germ. T. III. f. 207. ſeqq.* Immo Hetruriae Dux haud prius *Illuſtris*, aut *Illuſtriſſimi* titulum a Caeſare impetravit, quam *Magni* elogium hujus beneficio fuiſſet adjectum. Conf. *Paurmeiſter. de Jurisdict. L. II. C.* 4. *n.* 74. *ſeqq.* qui ſic hac de re perhibet: *Et quod non aliter ac ſubditos, Principes, Comites, Barones ac Civitates Italiae tractet Imperator*, STYLUS CANCELLARIAE AULICAE *docet, quo talis eſt ad ſingulos inſcriptio: Ad* PRINCIPES, ILLUSTRISSIMO N. *Magno Duci Hetruriae* etc. Qui titulus licet hodie pauliſper immutatus fuerit, poſtquam Magnus Dux a Caeſare Leopoldo, Glorioſiſſ. Memor. axioma *Regiae Celſitudinis* An. 1699. obtinuit; tamen omnia haec nec ſuprematus cauſam juvant, nec vinculo feudali jurique Imperii adverſantur, cum quoque Majeſtatem dominii tantum utilis jure competere poſſe, *§. XXXV.* admonitum, atque, conceſſione facta iſta, facultas omnis fuerit reſervata.

LIV.

Tandem illud argumentum inſigne exerciti in Hetruriam Imperialis juris eſt vindicandum, quod *Thuanus* omnium optime fuit perſecutus. Hic ſcriptor *L. XLIV. et L. LX. Hiſt.* de lite Florentini cum Duce Ferrarienſe, Pontificis Max. conatu, itemque Caeſarea proteſtatione, et confirmatione dein Magni Ducis tituli ſubſequuta, plura ſincere commemorat, unde apparere poſſit jurisdictio Imperatoris fundata pariter, ac jus ejusdem circa conſtitutionem dignitatum

tatum illuſtrium. Jam vero *p. 29. 30. 31. et 32.* omnis eo adhibetur opera, ut *Thuani* relationem falſitatis vitio laborare, alii ſibi habeant perſuaſum. Nihilominus evincetur *Thuani* narrata falſitatis fruſtra coargui, potius manifeſta veritate ſuffulta. Principio expeditum eſt, Imperatori Romano-Germanico, apud quem ſolum jus dignitates illuſtres in Germania Italiaque paſſim concedendi, tot jam ſeculorum conſtantiſſimo uſu conſpicitur, itidem dirimendi lites circa jus proëdrias ortas, adſerendam eſſe poteſtatem. Quemadmodum igitur omnes Italiae Principes (excepto Parmenſi e Farneſiis) honores ſuos Ducales ab Imperatoribus, Diplomatibus ea de re concinnatis impetrarunt, eadem ferme ratione, qua Germanici Imperii Proceres, immo ipſi Medicei Principis, mox Ducis titulo a Carolo V. Caeſare fuere decorati, ita iſti jurisdictionem Caeſaream, in ejusmodi litibus, circa praecedentiam comparatis exercendam, nunquam declinarunt, quod declaratur exemplo Sabaudiae Ducis, qui primum inter Italicos Principes, excepto Neapoleos Rege, qui ad Imperii clientelares ſpectare dudum deſiit, locum beneficio Caeſaris pridem adeptus fuit, invidentibus quidem, nec tamen reniti auſis reliquis. Hoc autem dogma probe agnovit Dux Ferrarienſis, qui, cum ipſius ante majores a Friderico III. Ducali dignitate cohoneſtati, teſte *Aenea Sylvio in Vit. Frideric. p. 94.* beneficii ac juris imperialis memor, forum Caeſareum adeo minus praeterire geſtiit, ut potius ſponte ad illud provocarit. Nam quamvis Papa Pius V. liti ſemet immiſcere mallet et illam dirimere, Ferrarien-

rienſis tamen nec pro judice, nec arbitro agnovit, juribus Imperatoris adverſari iſtud, prudenter intelligens. Coſimum vero Mediceum fori incompetentis haud exceptionem oppoſuiſſe, potius jurisdictionem Caeſaream, ab arbitrio quodam longe diſcretam, fuiſſe veneratum, ſatis docet *Thuanus*, cui, hac parte, major fides tribuenda eſt, quam *Viquefortio*, qui, recentiſſimus Auctor, teſtes coaevos et idoneos minus profert, praeſertim cum *Adriani* et reliqui domeſtici ſcriptores ſuſpectorum teſtium elogium mereantur. Quamvis exploratum eſſet, Coſmum, hac conditione addita, acquieviſſe, ut Caeſar officio ſolum arbitri, nequaquam judicis defungeretur, ex ipſa nihilominus *Vicquefortii* narratione liquet, Caeſarem Maximilianum hic ſummopere fuiſſe indignatum. Nam ille ait: *Maximilien II. s'en facha.* Id quod apprime colligitur ex *Epiſtola* ejusdem Imperatoris, d. 26. Dec. Anno 1570. ad Coſmum de Medicis exarata et in Archivo Caeſareo alioquin latente, *ſub K.* qua Auguſtus jura Imperii immortali nominis gloria tuetur, ac, Coſmum beneficii Carolini, graviſſimis verbis, memorem eſſe, jubet. Praeſertim haec verba notanda: *inſciis Nobis, utpote Romanorum Imperatore,* CUI IN HETRURIAM SUPERIORITATIS JUS *competere* EFFICACISSIMIS RATIONIBUS, *et quidem magna ex parte* VETERIBUS *et* RECENTIBUS INVESTITURIS *probari poteſt, acceptare, nedum quoad Florentiae ſtatum Noſtram illam ac Sacri Imperii* SUPERIORITATEM, IVRISDICTIONEM et AUTHORITATEM *non ſolum in dubium vocare, verum etiam*

INANI QUODAM LIBERTATIS PRAETEXTU *prorſus negare*, it. *vel certe* ABSURDUM *eſt*, *id a Dilectione Tua negari*, *ſine quo nec praedeceſſoris ſui Ducis Alexandri erectio*, *nedum Dilectionis Tuae* VIGORE EJUSDEM INSTITUTIONIS AD SE DELATA SUCCESSIO, *valida eſſet atque ſubſiſteret*, it. *Nobis ac Sacro Imperio Noſtra* AUTHORITAS, PRAEEMINENTIA, DIGNITAS *et* JURISDICTIO, *ſalva, integra et illaeſa maneat*: *retractando ſcilicet ea*, *quae ſic a Sanctitate ſua*, ILLEGITIMO MODO *inſtituta ſint*. En! praeſtantia Imperialia verba, quibus Coſmus mirifice perterritus ac commotus, mox Legatum, *Concinum*, ad Aulam Caeſaream miſit, ac omni ſtudio contendit eo, ut poenam vindictamque Imperialem promeritam effugeret, quod nec ipſe *Cini*, ſcriptor Florentinus in *Scriptione adverſa* allegatus et probatus, diffitetur, diſerte *p. 493.* referens, Concinum iſtum ſic inſtructum fuiſſe, ut argumenta adverſus Ferrarienſem Ducem *legitime* produceret, nec amplius plenam jactaret libertatem, ſed ab Imperatore demiſſo animi cultu Magni Ducis axioma efflagitaret. Quis igitur arbitrabitur, Maximilianum vi compromiſſi tantum voluiſſe cauſam definire, ubi ejus jurisdictio a partibus plane fuerat agnita? Ac, ſi iſta conditio, quam recenſet *Vicquefortius*, vere juncta, hoc potius Pontifice excitante peractum fuit, utputa qui ad poteſtatem litem decidendi adſpirabat. Sic enim idem ille *Vicquefortius*: *Le Duc de Florence y acquieſca, et y fit auſſi* CONSENTIR LE PAPE, MAIS A CONDITION, CHE L'EMPEREUR etc. Igitur

Papa

Papa magis ea conditione conſenſit, nequaquam vero Dux Florentinus de tali re vel cogitare fuit auſus. Contentio tum agitata Papam inter ac Imperatorem, non item huncce inter ac Hetruriae Ducem.

LV.

Quum ergo Coſmus forum Caeſareum agnoverit et *acquieſcendo* ſatis obſequium declararit, non apparet, cur *Thuanus* qualitatem minus congruam Coſmo attribuiſſe cenſeatur. Iſtius fori auctoritatem, gravi citatione ad Coſmum e Feudali Curia Imperiali, nimirum Conſilio Aulico, prouti inter ſubditos Imperii, inque primis Vaſallos Italicos fieri ſolet, emiſſa, fuiſſe veluti firmatam atque expoſitam, quis ambigat? Citationis illius non injicit ſolus *Thuanus* mentionem, ſed plures alii Hiſtorici. Citationi quoque paruit Coſmus, atque, Concino Viennam miſſo, prolatis inſtrumentis et rationibus in medium propoſitis, ſe defendere coactus eſt. Conf. *L. B. ab Andlern T. II. Corp. Conſt. Imper. f. 888.* ubi quoque ad *Thuanum*, Hiſtoricorum recentiorum Principem, provocat. Quacunque autem ratione commotus Coſmus citationi fecerit ſatis, juriſdictio omnino Imperialis manſit intemerata. Nam citatio iſta praeſtruxit jurisdictionem pridem fundatam, praeſertim quum iſta conſtituat contentioſae actum. Quapropter poterat merito Caeſar rem dirimere juxta normam Legum Imperialium, et Coſmum, ſicubi minus comparuiſſet, poena, quae iisdem in contemtores juriſdictionis citationisque ſancita deprehenditur, affice-

re. Ceterum placebat nondum Maximiliano, ſententiam pronunciare, cum Principes, ſibi adfines, amice mallet conciliare, quam judicio lato, aemulationi ac odio ſuggerere occaſionem. Unde liquet, quam male hic allegentur *Knipſchildius* et alii ICti, qui de eo caſu loquuntur, utrum per citationem *acquiri* queat jurisdictio, quaeſtionem recte negantes, cum citatus haud comparet etc. Sed de hoc nunc minus agitur. Caeſar enim non voluit, nec debuit demum jurisdictionem, in Ducem Etruriae exercendam, comparare, dudum exercitam. Conf. §. *XLV.*

LVI.

Ex *Thuano*, gravi et rerum perito Scriptote liquet, Coſmum pro *Fiduciario Imperii Principe* habitum ſemper et agnitum, ejusque filium et ſucceſſorem Franciſcum in paterna dignitate et Magno Hetruriae Ducatu, a Maximiliano II. Caeſare confirmatum, quod nemo ſit, quin exiſtimet, a ſummo directoque Imperiali dominio proficiſci. Opus eſt, adferre hic formulas quasdam, depromtas ex *Deductione pro priore dignitatis loco, Duci Coſmo ante Ducem Ferrarienſem adſignando, ubi continetur ſumma declarationis, a Comite Ciſuentes, Commiſſario Imperiali, Florentiae peractae, et diplomatis Caeſarei, quo illa confirmata eſt, Montiſone ult. Septembr. 1537.* Praecipue exſtant ſequentes, ibi: *ex* PRIVILEGIO *conceſſo Illuſtriſſimo Duci Alexandro,* it. *in executionem dicti* PRIVILEGII, *et juxta* INTENTIONEM SAC. CAES. MAJESTATIS *contentam in dicto*

cto PRIVILEGIO, it. *poſſitque* (Coſmus) *ex* CAESARIS GRATIA *uti et frui ea omnimoda auctoritate, qua Illuſtriſſimus quondam Alexander tempore ejus obitus poterat et utebatur.* it. CONFIRMAMUS *et* AUCTORIZAMUS DE IMPERIALIS NOSTRAE POTESTATIS PLENITUDINE, it. IMPERIALIS AUCTORITATIS, *et* DECRETI NOSTRI etc. *firmitate munimus* etc. Conf. *Informatione ſopra le ragioni della precedentia p. 17.* Adeo jus Imperiale in Magnum Tuſciae Ducatum ex ipſis Florentinis ſcriptionibus et publicis *Deductionibus* atque iis, quae pro jure proëdrias tuendo innexa fuere, non ante plura ſecula editis, ſed maxime recentioribus, eruitur. Quare mirandum eſt, jam alia *Deductione* ſuprematum quendam imaginarium defendi, ac univerſam cauſam, manifeſto inconſtantiae et contradictionis documento, quaſi ludibrio exponi.

LVII.

Porro *Thuanum* decepiſſe ſemet, quando, titulum Magni Ducis Franciſco TANQUAM IMPERII BENEFICIARIO indultum fuiſſe, commemoravit L. LX. p. 82. perperam in *Script. Contrar.* putari, ipſum Diploma Maximiliani II docet, cui non vagas et inefficaces formulas clauſulasque inſertas eſſe, facile judicabit ille, qui illud inſpexerit, prouti integrum eſt, neque malevolorum artibus interpolatum. Annon enim haec clauſula maximi ponderis, quae magna prudentia et cautione injecta,

 ibi:

ibi: *ut porro* SALVA *ſit* SUPERIORITAS NOSTRA, SACRI IMPERII, *ac cujuslibet alterius?* Ubi notandum verba ſtatim inſequentia, *utque omnia et ſingula interpretentur in favorem dictae Familiae Mediceae*; in *Scriptione Adverſa*, ſat incongrue pro dogmate ſuſtinendo ſimul produci, quum ea ex antecedentibus ſint explicanda, neque iſta temere praetereunda. Atque talis clauſula, perpetuo et certiſſimo Imperii noſtri uſu, omnibus *Diplomatibus Erectionum*, uti vocantur, additur, ac merito addenda eſt. Cujus rei illuſtriſſimum praebet documentum Auſtria. Quum enim regionem Fridericus II publico inſtrumento, Regali condecoraret dignitate, expreſſe cautum fuit, ne acquiſitio novi honoris juri Imperii et dominio directo noceret. Praeterea vox, *Fidelis*, praeſertim et plures adhuc aliae formulae minus inanes, quicquid ex adverſo contendatur, vel mediocriter ſtyli, diplomatibus hujusmodi Caeſareis adhibere conſueti, gnarum eo adducere valent, ut, ibidem Maximilianum jurisdictionem ſuam ac dominium directum in Florentinum Ducatum ſat firmaſſe et declaraſſe arbitretur.

LVIII.

Neque vero movet, quod ex *Contio*, Veneto, adducitur, qui recenſuerit, quam delicatum Miniſter Franciſci, Ducis, Jo. Baptiſta Concinus, circa acceptionem Diplomatis ejusque formularum ſe geſſerit. Nam *Contius* iſte videtur exiguam negotii habuiſ-

buiſſe cognitionem, qui nec decretum Alexandri, nec Coſmi, nec denique diploma, a Maximiliano datum, oculis unquam ſuis perſpexerit. Equidem non eadem prorſus verba ac clauſulae inſertae fuerunt diplomati, quae in decretis Alexandri Coſmique conſpiciuntur. Aſt non opus fuerat, tantam molem vocabulorum, jurisdictionem Imperii deſignantium, congerere, ubi nec de conſtituenda prius illa, potius axiomate Magni Ducis Franciſco indulgendo agebatur. Decreta econtra Alexandri atque Coſmi reſpexere ordinationem Principatus Medicei ejusque confirmationem, auctoritate Caeſarea ſuſceptam. Diverſitas igitur objecti praerequirit diverſam itidem loquendi ſcribendique formam. Id ſaltem tum cautum fuit a Magno Duce, ne diplomati annectatur quidpiam, privilegiis, a Carolo V Mediceae Domui conciliatis, adverſum. Quae cautio etiam apud juſtiſſimum Caeſarem finem attigit exoptatum. Quid ſi autem omnes clauſulae, decretis prioribus connexae fuiſſent omiſſae, an omiſſio iſta laedere poſſit jura Imperii, vel iſtorum Decretorum vim effectumque ſupprimere? Quis exiſtimarit, ſuperiorem ac dominum directum jus amittere ſuum, ni ubique in literis, aut diplomatibus Vaſallum *Fidelem*, *Beneficiarium etc.* appellet? Saepius enim, praeſertim in Principes, formulae ſolent temperari ac mitiores magisque amicae deligi, ſepoſita interim, vel tantiſper ſuſpenſa juris ratione, cujus nequaquam convertitur ſimul ſtatus. Immo ſufficit, varias voces paſſim diplomati interſperſas, quae vinculum, de quo quaeritur, abunde declarant. Mirandum vero eſt, *Con-*

tium

tium referre, quomodo Conſilium Caeſarem de *libertate praetentionum* informarit. An prudens ſibi habuerit perſuaſum, adminiſtros Imperiales jura Imperii in Hetruriam, eorumque gravitatem vel neſciviſſe, vel minus ponderaſſe? Ii potius, negotii totius probe gnari, conſilia ſua, quae Caeſari ſubminiſtrabant, direxerant eo, ut ipſe poteſtatem ſuam contra quoscunque tueretur, teſtibus *Schardio*, coaevo, item *Thuano L. XLVI. p. 873.* qui ait: *Caeſarem per Oratorem contra Pontificiam creationem fuiſſe proteſtatum*, ADDITIS MINIS, *ſi Pontifex ulterius in Imperii jura invaderet.* Quemadmodum proteſtatio haec inprimis digniſſima notatu verba continuit: *Quandoquidem* FLORENTIA *et Sena* CAMERAE (feuda) *ſunt Romani Imperii, neque poteſt, neque debet circa titulum Ducis Florentini aliquid innovari citra voluntatem Caeſareae Majeſtatis: alioquin enim pertinebit illa res ad manifeſtum ejusdem Majeſtatis praejudicium, atque ita tanquam non facta habebitur, et viribus omnibus deſtituetur.* Neque Coſmus proteſtationem, ac praemiſſam rationem, ipſe quam praeſens audierat, impugnare conatus. Adeo haec Maximiliani II egregia declaratio congruit iſti, quam Maximilianus I, diu jam ante peregerat. Vid. §. *XXVI.* Add. *Schardius T. IV. Rer. Germ. f. 136. et Anton. Galut. in Vit. Pii V. L. III. C. 16.*

LIX.

Amplius tam Caeſar, quam Conſiliarii gravisſime cauſam Imperii, decretis Alexandri atque Coſmi itidem innixam, tuiti, quum Legatus, ad Pontifi-

cem

cem miſſus, An. 1572. Roma fuerit evocatus ac Coſmo ejusque filio Franciſco ejus generis leges propoſitae, ut, evitandi omnis incommodi cauſſa, lubenter gratiae Imperiali ſemet committerent. Ipſi quoque Imperii Ordines Caeſarem, tum in Comitiis Ratisbonenſibus conſtitutum, de jurium Imperii ſtrenua defenſione admonuerunt, cum omnium ipſorum referret, conatus Papae circa conceſſionem illuſtrium dignitatum infringi, nec, praetenſo inani quodam titulo, Hetruriae regionem ab Imperii clientela divelli. Igitur expedita ſunt, quae *Antonius de Herrera*, Hiſpanus, pridem hac de re ſcite commentatus fuit, quando *L. V. de la Hiſt. Gener. Part. II. p.* 303. inquit: *El Emperador,* (Maximilianus II.) *determinava de darle el titulo de Gran Duque de Toſcana de todas las cuidades, villas, y lugares, que immediatemente en aquella provincia poſſega, y que no obedecen à ningun otro Principe ni Sennor:* CON CONDICION, QUE ESTA CONCESSION NON PUDIESSE PERIUDICAR AL AMAGESTAD DEL SACRO ROMANO IMPERIO. Majeſtatis autem verbo hic non innuitur externa iſta et a jure quodam *objective reali* diſjuncta, magis poteſtas ſuprema, in regionem quaeſita, ſic, ut quidem illa a Vaſallo *immediate* poſſideatur et gubernetur, ſuperiori econtra facultas dominii directi competat. Enimvero majeſtas Romani Imperii *dupliciter* conſiderari poteſt. Ea enim vel reſpicit gentes externas, prorſus liberas, ubi ſeſe varie exſerit, ſi titulum Majeſtatis, Romano Imperatori proprium, jus praecedendi omnes Reges ac Principes Chriſtianos etc. ſpectes. Dein autem Maje-

ſtas con cernit Regiones Imperii clientelares, quales Germaniae Italiaeque paſſim provinciae, quae illam ita venerantur, ut, nexu arctiſſimo velut colligatae, nulla ratione facile, neque cujusvis axiomatis tributione, hinc poſſint debeantve ſegregari. Atque ejusmodi reſervatio tacite quoque facta fuiſſe eſt intelligenda, cum praeſertim magni Principes juri ſuo renunciaſſe, temere cenſeantur. Neque in dubio, cum Imperatores Regios quoque titulos indulſerint, reſervatio expreſſa fuit omiſſa, quod probatur exemplo Auſtriae, cui cum Fridericus II. Regalem dignitatem innecteret publico diplomate, memorato *Petro de Vineis L. VI. Epiſt. 26.* diſerte addidit, *ut ex honore, nihil honoris et juris* (Caeſarei) *Diadematis, aut Imperii ſubtrahatur*, et Auſtrii nunc Reges *Principes* FIDELES ET DEVOTI Caeſaribus *perpetuo perſiſtant etc.* Ubi neque praetereundum eſt, illa, quae *§. XLIIX. et LIII.* adducta, hinc confirmari poſſe. Verba: FIDELES ET DEVOTI etc. *perſiſtant*, a formula: *Utque in* FIDE ET DEVOTIONE etc. *maneat*, nil diſcrepant. Vid. *§. L VII.*

LX.

Clauſulam, diplomati adjectam: *Utque omnia et ſingula interpretentur in* FAVOREM *dictae familiae Mediceae*, jam *§.* LVII. commemoratam quod attinet, iſta ſaltem hocce operatur, ut intuitu tituli Magni Ducis omnis nunc difficultas ac contentio debeat eſſe ſublata, atque privilegium ad majorem dignitatem et incrementum Domus illius collineare. O-

mnia

Digitized by Google

mnia enim privilegia adverſus concedentem, largius ordinarie ſunt accipienda. Verum eo non pertingit iſtius clauſulae vis, ut favor Familiae Mediceae commodum Imperii ejusque jura inveterata vincat. Cuncta privilegia itidem ex intentione menteque indulgentis explicari, par eſt. Jam diplomati tam perſpicua et fortia verba inſita, quae jurisdictionem Imperialem in Hetruriam declarent, ut, clauſula quadam nimis generali ac vaga abſorberi iſtorum efficaciam, voluiſſe Caeſar non ſit cenſendus. Neque vox: *interpretentur*, veram quandam diplomatis expoſitionem innuit, quum privilegium, juris ſingularis ac conſtitutionis publicae genus, nemo interpretari valeat, niſi qui conceſſit. Quando enim privilegiato id facultatis competeret, nimis largiter beneficium proferret et favori ſuo indulgeret. Alii vero, quorum ne intereſt quidem, cur tantum jus ſibi adrogent? Itaque vocabulo iſto jubetur potius, ne privilegii clara verba, favorem complexa, torqueant in praejudicium reliqui S. R. I. Proceres atque cives, ſed Ducem Hetruriae pro Magno agnoſcant, quod ſingulari favore conceſſum, nulla ratione invidentes. Etenim ſanctio talis omnibus ferme diplomatibus ac privilegiis ſolet addi, praeſertim ſi dignitas ſingularis, neque antea in Imperio ſueta, qualis exſtat Magni Ducis, alicui imponatur, ac is dein reliquis ordine quodammodo praeferatur. Quae res ut plurimum invidiam aemulationemque parit.

LXI.

Quo autem vis tam Epiſtolae, *ſ. LIV.* adductae,

ctae, quam diplomatis, et declaratio ibidem recondita exactius adhuc intelligatur, commonendum eſt, hinc apparere identidem, quam acriter Imperator Decreto Caroli V. inſtiterit, atque in concedendo Magni Ducis axiomate eandem normam, intuitu ſucceſſionis, ſecutus fuerit, quae in iſto privilegio praeſcripta. Sic enim 1) *Epiſtolae* praecipua verba, ibi: *Divus quondam Imperator Carolus V.* etc. *poſtquam Florentiae civitatem, quae a Majeſtatis Suae et Sacri Imperii* DEVOTIONE *deſciverat, longa obſidione cinctam ad deditionem adegiſſet, ac* IMPERATORIAE POTESTATIS PLENITUDINE *et inter alia eam quoque ob rationem, quo deinceps in Majeſtatis Suae et Sacri Imperii* FIDE *et* DEVOTIONE PERPETUO *maneat.* etc. *quondam Ducem Alexandrum Reipublicae illius Florentinae gubernio praefecerit: eadem civitate in* GRATIAM RECEPTA etc. it. *ac denique eadem* SUPERIORITATE *ſibi, ac ſacro Imperio ita reſervata* etc. it. *quae quidem omnia ejusdem remiſſionis, inſtitutionis, et creationis literis* EXPRESSIS VERBIS *continentur.* 2) In diplomate erectionis ipſomet exerte ad Carolum V. provocat Maximilianus. Praeterquam enim, quod inter cauſas collationis generatim memorentur *luculenta et utilia* OBSEQUIA, *tam Nobis* (Maximiliano) *quam Anteceſſoribus Noſtris, Romanorum Imperatoribus, et Regibus, ac praememoratae Domui Noſtrae* AUSTRIACAE *hactenus praeſtita* (a Mediceis) additur ſpecialiter de Coſino I. ibi: *cujus etiam in Divos quondam Imperatores,* CAROLUM QUINTUM *et Ferdinandum* etc. *inſignium* MERITORUM *gra-*

tia

ta apud Nos extat memoria etc. Deinde eadem ratione, qua Principatus Florentinus a Carolo V. Alexandro indultus, conceſſus etiam Magni Ducis titulus a Maximiliano II. Franciſco. Ita enim Diploma: *Franciſcum Medicem Ducem, ejusque deſcendentes in infinitum* MASCULOS, *legitimos et naturales, ac illis deficientibus, vel non exſtantibus, proximiores* MASCULOS *ex Medicea Familia in perpetuum,* UT SUPRA, (juxta normam Carolini Decreti) *omnes tamen ſucceſſuros ordine et jure primogenii, in Magnos Duces Hetruriae eorum locorum, quae ibidem ipſe Dux Franciſcus poſſidet, ſeu ad eum pertinent, et ipſam provinciam reſpective, ad propriam dignitatem, nomen et titulum Magni Ducatus* RE IPSA, *et cum* EFFECTU (tam ratione Imperii, quam Mediceorum) *eveximus etc.*

LXII.

Praeterquam vero quod ſaepius celebratum diploma Maximiliani II. vera diplomatis indole inſtructum eſſe, ac jurisdictionem Caeſaris ſupremam praeſtruere, hinc etiam colligatur, quando iſte ait: DECERNENTES, *et hoc noſtro* CAESAREO EDICTO firmiſſime STATUENTES, *ut poſt hac perpetuis futuris temporibus* etc. atque adeo omnes Chartae Imperatoriae, quae in hac cauſſa Florentina hucusque prolatae, fundamentum decidendi judicandique efficientes, de jure Imperii in Hetruriam abunde teſtentur, nec quidpiam ipſis ſit inſitum, quod paritatem vel agnitionem commenticii ſuprematus ullo modo arguat; ſimul exinde liquet,

quet, ipſos celſiſſimos Ordines, in iisdem Comitiis Ratisbonenſibus An. 1575. praeſentes, circa axiomatis Magni Ducis conceſſionem fuiſſe conſultos. Id enim formulae memoratu digniſſimae produnt, ibi: *Omnibusque ſacri Romani Imperii Principibus Electoribus in* MATURAM DELIBERATIONEM *deductis* it. *Noſtrorum et Sacri Imperii* FIDELIUM *accedente* CONSILIO. Quapropter omnes rerum publicarum periti haud aegre aeſtimarint, quam enixe Caeſar jura Imperii hic curaverit, ita, ut licet dignitates illuſtres omnes vi *Reſervatae Poteſtatis*, ſolo arbitrio ac ſine praeſcitu etiam Statuum indulgere, inprimis Italis, poſſet, nihilominus rem prius iſtis propoſuerit, quorum inſigniter referre arbitrabatur, dominio Imperii ſupremo in Etruriam nulla ratione derogari. Immo, ipſum Carolum V. Florentiam recipientem in gratiam ac Alexandro de Medicis gubernationem Florentiae ditionis committentem, in Comitiis demum Auguſtanis, An. 1530. habitis, Ordines conſuluiſſe, apparet ex Diplomate, Auguſtae Vindelicorum d. 28. M. Octobr. concinnato atque hinc ad Hetruſcos dimiſſo, ibi: *non per errorem, aut improvide, ſed ſano Principum, Baronum, Comitum, Procerum atque aliorum Noſtrorum et Romani Imperii* FIDELIUM *dilectorum* AD HOC ACCEDENTE CONSILIO. Jam igitur fabula de arbitrio, mediatione etc. magis proditur, quam *Aſſertor Suprematus Florentini* excogitavit. Certe, ſi Carolus V. officio arbitri, aut Mediatoris tantum fuiſſet defunctus inter Florentinos cives, conſilio prius Ordi-

Ordinum Teutonicorum, in plenis Comitiis adhibendo, negotium haud indiguiſſet.

LXIII.

Electores S. R. I. Florentinum Magnum Ducem ſemper quoque pro membro et Principe Imperii habuiſſe, eorum, quae, vindicandorum jurium gratia, a Carolo V. et Maximiliano II. Auguſtis, paulo ante fuerant peracta, egregie memores, apparet ex *Declaratione* Eminentiſſimi Collegii de Anno 1582. quam ex Archivo Taurinenſi edidit *Samuel Guichenon dans l' Hiſtoire Genealogique de la Royal Mais. de Savoye Tom. II. p. 557.* Cum enim Carolus Emanuel Dux Sabaudus, ad Comitia miſſis Legatis, de jure ſuo proëdrias teſtaretur ac confirmationem hujus rei efflagitaret, Electores diſerte petitum approbarunt et ejusmodi ſimul adhibuere formulas, quae jus Imperii in Hetruriam ſat innuant, ibi: *Maximilianus II. piae memoriae*, COMMUNI CONSENSU SACRI IMPERII PRINCIPUM ELECTORUM, *Domino Coſmo petitum nomen et titulum Magni Ducis Florentiae*, CLEMENTER, *concederet et daret, in ea conceſſione expreſſe reſervatum et cautum eſſe, quod ſcilicet talis conceſſio Sacri Imperii Principibus Electoribus et* ALIIS *Principibus ſine detrimento erit:* it. *Caeſaream Majeſtatem humillime rogant, ut dicto Duci Sabaudiae* TANQUAM SACRI IMPERII PRINCIPI, *praecedentiam vigore praefatae reſervationis, ante Magnum Ducem Florentiae in ſua Caeſarea capella clementiſſime permittat, ſicuti quoque Ille* (Sabaudus) *tanquam a Ger-*

Germano Principum ſanguine natus Princeps, et VICARIUS *Sacri Imperii* PER ITALIAM, *praecedentiam ante* OMNES *Italiae Principes in Caeſareae Majeſtatis aula et capella, perinde in Italia, atque in Germania ſemper habuit; et adhuc, vigore dictae reſervationis, habere et retinere debet.* Plane, ni ipſe Sabaudus Florentinum membrum Vaſallumque Imperii judicaſſet, Comitia et Senatum Electoralem pro jure ſuo tuendo non adiiſſet. Quum autem ſciret, titulum Magni Ducis beneficii jure indultum Franciſco Mediceo, uti quoque voluit effectu clauſularum ſalutarium, quae diplomati inſertae. Praeſertim autem notandum eſt, Electores ideo pro Sabaudo pronunciaſſe, quod gerat excelſum Vicarii per Italiam officium. Igitur eo ipſo contendunt, Ducem Florentinum pariter ac alios Italiae Principes, Imperio obſtrictos, iſtum Vicariatum debere agnoſcere. Atque idem Vicariatus Sabaudi maximum quoque Jus Imperii in Italicas ditiones clientelares ſervat et adverſus omnem praeſcriptionem communit. Neque Florentinus unquam Vicarii praerogativam Sabaudo in dubium vocavit, vel vocare potuit, quamvis conſtet, in Aula Romana quandoque lites de praecedentia fuiſſe motas. Papa enim, juxta ipſius Bullae Pii V. diſpoſitionem, Sabaudum ſemper Florentino praefert et immediatum iſti poſt Venetos in capella concedit locum. Certe, ſicubi Magnus Hetruriae Dux claſſi Principum ſupremorum et independentium adſcribendus merito eſſet, majora quoque circa praecedentiam etc. jura urgere poſſet, immo ad Regiam adſpirare dignitatem.

Sed

Sed omnia conſilia impedit nexus clientelaris et ſubdititius, qui neque ceteris Italiae Principibus incognitus eſt, neque olim Philippo II. Hiſpaniarum Regi, fuit, qui, cum, fama ferente, audiiſſet, Ferdinandum I. M. Ducem a Rudolfo II. Caeſare, axiomatis Regii conceſſionem Anno 1590. efflagitare, illico rem diſſuaſit ac optimas rationes contra Florentinos allegavit, Caeſari ſed commodas, qui etiam nil ſuſcepit, quod Imperii juri quidpiam adverſaretur, vel quietem Italiae perturbaret. Conf. *Lunig. Conſil. Stat. P. I. f. 443. ſeq.* Quum autem in ipſa Italia ſuprematus Florentinus effictus apud Principes, fidei et obſequii erga Imperium memores, explodatur, multo magis Germanis irridendus eſt. Neque quum Anno 1699. Imperator Leopoldus Glorioſiſs. Memor. Magno Duci Coſmo III. jam gubernanti, axioma *Regiae Celſitudinis* impertierit, juri praeeundi Sabaudico quidpiam deceſſit, potius in *Diplomate* tam Imperii ſupremae poteſtati, quam Principum praeeminentiae fuit proſpectum et Sabaudo inprimis ideo proſpici debuit, quod axiomate Regiae Celſitudinis itidem utatur. Poſtea certiſſimum eſt, Electores, qui ipſi Sabaudum, non invitum, praecedunt, teſte *Puffendorfſio in Hiſt. Brandenburg. L. 9. §. 64.* praeire multo magis debere Florentinum, quum in genere Duces Germanos, ob territorii inprimis Teutonici dignitatem, jura ſuffragii in Comitiis etc. Italis praeponendos eſſe, conſtet. Sicubi Galli et alii Reges, Italos Principes majori honore condignos eſſe exiſtiment, et legatis majora jura tribuant Sabaudi, vel Florentini, quam v. g. Ducis Guelpherbytani, aut Saxonis cu-

P jus-

juſdam, hoc Germanis nil nocebit, qui praerogativam merito tuentur. Vid. omnino *Fürſtenerius de Jure Supremat.*

LXIV.

Neque minus vero ipſae *Capitulationes* Caeſareae evincunt; eosdem Archi-Principes jurium Imperialium in ditiones Italicas, Regno Teutonico clientelares et ſubditas, nunquam fuiſſe oblitos. Exploratum enim eſt et manifeſtis publicatum rerum documentis expeditum, *Capitulationis*, cum *Matthia* Imperatore initae, *Articulo IX.* occaſionem inprimis praebuiſſe conatus Coſmi, itemque Franciſci et Ferdinandi, Magnorum Ducum, nec non molitiones Pontificias, quae ſub Maximiliano II. contigerant, et Electorum animos ad tuenda Imperii jura ſat concitaverant. Ita vero *Articulo* ſtatuitur: **Vornehmlich auch, dieweil vorkompt, daß etliche anſehnliche dem Reich angehörige Herrſchafften und Lehen in Italia veräußert ſeyn ſollen, eigentliche Nachforſchung derentwegen anſtellen.** Quae quidem promiſſio Imperatoria, omnem praeſcriptionem frivolam excludens, in ſequentibus repetita conſpicitur Capitulationibus, hac formula ſingulari adhuc adjecta: **Ohnſelbarlich einzuſchicken.** Vid. *Cap. Noviſſ. Art. X.* Hinc patet 1) decreto Imperii ſolenni ab Electoribus, primariis jurium Imperialium inter omnes Status cuſtodibus, Feuda Italica atque adeo Florentiam, minus pro derelictis haberi; 2) Sufficientia documenta, quicquid in *Scripto contrario* obji-

objiciatur, in Archivis Caeſaris et Imperii recondita eſſe, quae tamen omnia producere non opus eſt, cum praecipua diplomata, unde tota res diſcutienda eſt, jam ubique innotuerint, dein dogma de ſuprematu Etruſco ex ipſis Florentinis Scriptoribus coaevis et praecipuis fuerit refutatum, ac alia argumenta, ab Hiſtoricis paſſim conſignata, eruta, quae totam controverſiam ſine aliis ſubſidiis definire valeant; quum econtra pro cauſſa ſuprematus nil praeter Doctores quosdam Scholaſticos, et Guelficae parti addictos, et Hiſtoriae ignaros, ac aliquos Hiſtoricos domeſticos, quorum narratio ſaepius torta fuit et ipſimet alleganti adverſa, orbi Europaeo proponitur; 3) ex iisdem *Capitulat.* verbis tuto conjici, *recentiorum temporum praeſcriptionem* hic omnino exulare, quum jus Imperii non ſit neglectum. Ceterum, ſi inquiſitio hujusmodi paululum omiſſa, et reductio Feudorum Italicorum, de qua in *Capitulationibus* cautum, veluti ſuſpenſa atque Imperatores, Ferdinandus II. et III, Germanicis negotiis diſtenti, Florentinis benignius indulſerint, nec debita ſemper obſequia exegerint, juri Imperii haud nocebit, praeſertim quum ſat conſtet, in cauſſa Mantuana A. 1630. ob ſucceſſionem diſceptata, Magnum Ducem nil ſuſcepiſſe, quod illi refragaretur. Abunde itidem verba, diplomati Caroli V. inſerta, praeſcriptionem, quae ſaepius praeſidii iniquitatis inſtar, univerſam arcent, ibi: *Utque in Noſtra et Romani Imperii devotione* PERPETUO MANEAT. Sufficit, non abdicatam fuiſſe Imperii facultatem, nec potuiſſe abdicari, quo argumento exquiſitiſſimo utitur Imperator Joſephus,

Glorioſiſſ. Memor. in *Manifeſto de A. 1708. apud Lunigium Archiv. Imper. Part. Spec. Contin. II. p. 682.* ſeq. quando jus Imperiale atque Ducatus Mediolanenſis in Parmam et Placentiam adverſus Curiam Romanam ſuſtinet, ibi : *Oſtendi profecto nequit, directum hoc* et SUPREMUM *dominium* RESERVATUM*que* MAIESTATICUM, *ab ullo unquam Imperatore* ABDICATUM *eſſe, aut ſine* EXPRESSO *Ejusdem ac Imperii conſenſu a Ducibus Mediolanenſibus abdicari, cedi, vel transferri, multo minus a Curia Romana valide uſurpari, ab eave per Duces Parmenſes legitime recognoſci potuiſſe etc.*

LXV.

Quemadmodum igitur ea, quae circa genuinam diplomatis Maximiliani II. explicationem haerentes hucusque diſſeruimus, abunde commonſtrant, *Natalem Comitem*, ſcriptorem Guelphicae parti, Italiae oras nunquam deſerturae, ſtudentem in *L. XXVI. Univ. Hiſt. ſui temp.* ubi in cauſſae Florentinae recenſionem incidit, nil magis egiſſe, quam ut clauſulas documenti, Imperii juribus faventes, artificioſe praeteriret, vel mirabili, Gallorum more, torqueret ratione, ex *Thuano* apprime corrigendus, quandoque tamen vi veritatis ad confitendum compulſus, vid. *p. 588. 589.* ita, *Auctorem adverſarium* eodem ſpiritu coactae adulationis fuiſſe exagitatum, nunc erit oſtendendum; poſtquam ordo diſceptationis uſque ad *pag. 32.* progredi jubet. Nam ibi dogma profertur, ſanae Politices ac Juris publici regu-

Digitized by Google

regulis longe repugnans. Statuitur, conceſſionem dignitatum illuſtrium minus inducere ſubordinationem ejus, qui conſequitur, neque jurisdictionem conciliari ei, qui indulget. Enimvero omnis dignitatum illuſtrium conceſſio jam dum praeſtruit jurisdictionem, cum id juris ad ſuprema ſpectet Regalia. Plane jure Gentium, quo liberae invicem gentes utuntur, nullibi ſancitum, Principem liberum alii quoque libero nec ab iſto dependenti, axioma quoddam conciliare poſſe. Neque apparet, quomodo Princeps extra Principatus ſui limites parem ſibi conſtituere valeat, atque alium dignitate cohoneſtare, quam hic ſuo potius jure propriisque viribus adſumere poterat. Alia longe ratio habetur *agnitionis*, alia *creationis*. Illa utique juris Gentium habetur, ac ſolum declarandae veluti et firmandae tantiſper dignitati, jam conſtitutae, accedit. Aſt creatio praerequirit Principem, qui in eum, cui axioma honorificum confert, jurisdictionem poſſit exercere. Cui dogmati magis demonſtrando adducenda ſunt quaedam exempla, ubi Caeſares Romano-Germanici Reges Ducesque crearunt, quorum nemo unquam exſtitit, qui Vaſallus Imperii minus antea fuiſſet redditus. Ita Poloniae quondam Duces ab Ottone III. Reges vocati, qui jam iſto aevo in clientelam Imperii pervenerant. Conf. *Lubienſkius Vit. Epiſcop. Ploc. p. 311. Cromer. L. II. de Regn. Polon.* De Rege Bohemiae vid. *Goldaſt. de Regn. Bohem. L. III. C. 10. tot.* Danorum Duci, Petro, *Regia ſtemmata* dediſſe Fridericum I. ait *Bodin. de Republ. L. I. C. 9. p. 144.* vid. *Otto Friſing. L. II. de Geſt. Frideric. I. C. 5.*

 p. 448.

p. 448. Danos autem quondam Imperio paruiſſe, egregiis documentis productis, probavit *Conring. de Fin. Imp. L. I. C. 14.* Immo omnes illos, quos Romani olim, Urbis ac Orbis Domini prope, Reges crearunt, Reipublicae ſuperioritatem agnoviſſe, ac, ſiquid moliti, regnis exutos fuiſſe, exploratum habetur. Igitur nemo negarit, creationem Regum, a Caeſare peractam, praeſtruxiſſe jurisdictionem ac nexum feudalem, immo conciliaſſe jus quoddam Imperio in iſtos Principes, qui ſponte diadema Regium a Caeſare efflagitarunt et obtinuere, hoc ipſo declarantes, ipſis facultatem proprio jure regiam dignitatem capeſſendi minus competere. Equidem errant, qui jus creandi Reges, Imperii Romano - Germanici Majeſtati cohaerens, ex dominio quodam univerſali totius orbis derivant, cum plures provinciae a vaſtiſſimo olim Imperio fuerint avulſae, quae dein praeſcriptione, vel pacto et transactione varia ſupremam libertatem obtinuere, Regibus quoque propria auctoritate a cujusvis regionis populis conſtitutis, inprimis Romano Imperio ante Carolum M. capite prorſus deſtituto. Huc pertinent exempla Regum Longobardorum, Arragoniae, Caſtellae, Luſitaniae etc. Interim non apparet, cur minus dominii illius univerſalis, reſtituta a Carolo M. Imperii Romani dignitate Majeſtateque, vis aliqua adhuc exſerere ſemet potuerit ac poſſit, Principe quodam ſupremo axioma Regium petente et impetrante. Quis enim tantum actum pro fruſtraneo ac Imperio inutili habuerit, praeſertim cum creationis agnitionisque Imperialis tanta ubique conſpiciatur in orbe Chriſtiano auctoritas, ut nullá

alia

alia gens indultum honorem invideat; potius agnitione promta venerationem, Caeſari et Imperio debitam, conteſtetur. Igitur nunc liquet etiam, quam male ii ſtatuant, qui, Caeſaris hocce jus ſingulari *tantum* reverentia, Auguſto Nomini exhibenda, vel Advocatia Eccleſiaſtica inniti, putant. Non enim liquet, quomodo ſola veneratio Regiae dignitatis collationem progignat privativam ac talem, quae ab agnitione multum diſtat? Advocatiae autem Eccleſiaſticae jus nil commune unquam ſortitur cum poteſtate ad Regium faſtigium Principes Chriſtianos evehendi. Nam illud ſaltem reſpicit defenſionem Eccleſiae Chriſtianae, armis quoque ſuſcipiendam, ducatum exercitus adverſus infideles, Conciliorum moderationem ac convocationem, Schiſmatum compoſitionem et alia inſignia jura. Egregie igitur ſentit *Caeſarinus Fürſtenerius de Jure Supremat. C. XXXII. p. 101.* cum ait: *ex creatione Regum et aliis Imperatorum actis, ab omnibus Chriſtianis populis dudum agnitis, intelligi*, ALIQUAM CAESARI IN TOTO CHRISTIANO ORBE JURISDICTIONEM ESSE. Add. *Coccej. Jurisprud. Publ. C. III. §. 55.* qui, cum jus Imperii in Slavos Orientales tuetur, hanc etiam rationem promit, ibi: QUOD SUMMUM IMPERII EST, *Reges a Germanis accepere.*

LXVI.

Neque vero Regias dignitates ſimpliciter indulſere Caeſares, ſed diplomatibus publicis eo de negotio edi-

editis, quorum conficiendorum jus merito Regalibus adnumerari §. *XXV.* monitum fuit, jura Imperii ſat reſervarunt, vel, ob ſolam hanc collationem facultatem nunc quaeſitam fuiſſe, teſtati ſunt, non renitentibus novis Regibus, quibus magni res momenti videretur, in ſocietatem Vaſallorum membrorumque Imperii eminentiſſimam cooptari. Neque collatio dignitatis regalis ſine inveſtitionis cujusdam ſigno peracta. Praecipuum autem ſignum praebuit ipſa corona, quae a Caeſare ipſo capiti novi Regis impoſita vel transmiſſa fuit, prouti de Daniae Regibus ſat liquet ex Auctoribus §. *anteced.* allegatis. Atque proin titulus Regis, mediante inveſtitura quadam conceſſus, tam BENEFICIARIUS exſtitit, ut quoque Reges clientelares ſaepius ſub corona Imperatoribus in ſolemnibus Curiis ſervierint. Conf. *Otto Friſing. Chron. L. V. C. 3. et L. VII. C. 19.* de Privilegio Regis Bohemiae conf. *Czecherod. Mart. Morav. L. III. C. 7. p. 390.*

LXVII.

Quae jam de Regali dignitate diſſerta fuere, multo magis eo caſu obtinent, quo honores, illa longe inferiores, conceduntur. Plane nullum unquam exemplum adduci poterit, ubi Caeſares aliquem Germaniae vel Italiae Dynaſtam ad Principis aut Ducis faſtigium evexerint, prorſus liberum, nec Imperio ante ſubditum. Igitur clientela et ſubjectio occaſionem ſuppeditavit iſti negotio ac gratiam Caeſaris veluti elicuit. Tales quoque honores ideo indulti, ut

ut fides, Imperio debita, magis firmaretur ac ditiones Vaſallorum verum territorii cujusdam, Regalibus ornati, induerent habitum. Qua ratione commoti paſſim Vaſalli tam Teutonici, quam Italici, eo, ſemper contenderunt, ut axioma Ducis, vel aliud bonis conquiſitis innecteretur. Neque minus Caeſares, praeter finem, munimentum fidei et ſubjectionis concernentem, eam ſemper cauſſam diplomatibus inſerere ſoliti, quod referat dignitatis Imperii, Fideles ejus, praemiis hujusce modi adfectos, ad res porro ſincere gerendas concitari et *ſolii Caeſarei decus tam veterum* dignatum *ornatibus confoveri, quam novis honoribus ampliari*; uti verba diplomatis Auſtriaci apud *Petrum de Vineis L. VI. Epiſt. 26.* ac aliorum, inprimis Italicis Proceribus indultorum, perſpicue exprimunt. Neque hujus prope generis formula in diplomate Magni Ducis Hetruriae neglecta fuit. Quibus accedit, quod Coſmus Dux minus tam anxie a Papa, dein a Caeſare titulum Magni Ducis exoraſſet, ſi ejus territorium in plena fuiſſet conſtitutum libertate. Nam ideo quoque Maximilianus II. tam acriter contradixit, quod Florentia et Senae ad Cameras, i. e. feuda S. R. I. pertinerent. Vid. *§. LVI.* Unde patet, Caeſarem jurisdictionem et dominium directum pro fundamento hic primario collocaſſe, neque proin fuiſſe opus, ut conceſſione tituli illud demum compararet.

LXVIII.

Iterum vero *p. 32.* incongrue exiſtimatur, Papam Pium V. fortiori meliorique jure aliquid poteſtatis in Florentiam ſibi adſerere potuiſſe, quia fuerit is, qui titulum Magni Ducis Coſmo attribuerit, hoc nequidem flagitante. Sed parum hic referre videtur, utrum Coſmus expetierit conceſſionem axiomatis a Pontifice, ſive minus. Neque inquiri opus eſt, annon Coſmus id maxime egerit, ut non ſolum *magnificas*, ſed *illuſtres* etiam adpellationes opibus jungeret, et annon lis Ferrarienſis hoc pauliſper innuat. Potius demonſtrandum eſt, Pontifici jus Reges aut Duces creandi nulla ratione vindicari. Equidem, prouti in diplomate Pii V. inter cauſas alias contenditur, exempla non deſunt, ubi Papali auctoritate Regiae dignitates fuerunt collocatae. Aſt Caeſares, poteſtatis ſuae memores, his conatibus ſaepius graviter contradixere tam verbis, quam factis. Brevitatis gratia memorabitur ſaltem, quam enixe Fridericus II. hac de re conqueſtus fuerit, cum in literis, ad Gallos Cremonae An. 1245. d. 22. Sept. exaratis, apud *Goldaſtum Tom. I. Conſt. Imp. p. 306.* ſic differit: *Cum per aliquot* RETROACTOS *Romanae ſedis Antiſtites, et praeſentem, Nos et alios Reges, Principes orbis et Nobiles, Regna, Principatus, honores quoslibet, et jurisdictionem habentes;* GRAVATOS *merito cenſeamus, ex eo, quod ipſi, contra Deum et juſtitiam, pro poſſe, ſibi* JURISDICTIONEM *et auctoritatem* USURPANT INSTITUENDI *ſeu deſtituendi ſeu removendi, ab Imperio Regnis, Principatibus et honoribus*

bus ſuis, Imperatores, REGES *et* PRINCIPES etc. Diſerte etiam ſcriptor magnae auctoritatis apud Hiſpanos, *Franciſcus de Victoria Relect. Moral. I. Sect. 5. Quaeſt. 1. p. 70.* quo loco temporalem Pontificis jurisdictionem in toto orbe impugnat, ſtatuit: *Papam nec facere Reges poſſe.* Eandem ſententiam amplexus *I. C. Lobkoviczius*, Ciſtertienſis regulae Monachus, *in Philippo prud. legit. Reg. demonſtr. L. II. Art. 3. p. 100. et Art. 6. p. 113.* Immo in cit. diplomate Pius V. ipſe confitetur, ſe non ignorare, *neque* PETRVM *neque alios ejus in primitiva Eccleſia ſucceſſores, tantam authoritatem ſibi deputaſſe*, ut vel REGES vel DVCES CONSTITVERENT. Neque praetereundum eſt, toto coelo a ſe invicem ſemper diſcrepaſſe, miſſionem impoſitionemve coronae, a Papa peractam, et illam, quam Caeſares haud raro ſuſcepere. Nam cum miſerit coronam Papa, in ſignum devotionis id acceptum fuit a Regibus, qui conſecrationem magni ponderis rem arbitrati. Atque talis conſecratio a Papa fuit celebrata, tanquam ſupremo Sacerdote, nequaquam domino clientelari. Quapropter Regnum Hungariae perperam Curiae adſcribitur Pontificiae, utputa quod pridem imperio eminuit immediato, nullius dominio directo obnoxium. His explanatis, conſtat, Pontificem, Pium V. nil juris in Hetruriam potuiſſe adquirere, praeſertim, quia tota ejus Bulla, proteſtatione ab Imperatore ſolemniter interpoſita, effectu caruit, neque ipſe Coſmus impoſitam Anno 1570. regalem coronam uſurpare conatus, gravem Imperii metuens coërcitionem.

LXIX.

Coarguitur denique *p. 32. 33. 34. et 35.* erroris *Pfeffingerus*, qui cenſuit, argumentum pro dominio directo Imperii in Florentiam hinc quoque non immerito revocari, quod An. 1692. haud exigua contributionis pecuniariae quantitas Imperatori ejusque Commiſſariis, *Caraffa, Breunero*, aliis, a Magno Hetruriae Duce fuerit exſoluta. Jam ex adverſo libenter conceditur, praeſtationem illam revera contigiſſe. Neque negatur *p. 33.* ſubditum, vel vaſallum eo adigi poſſe a ſuperiore et Domino directo, ut collectis publicae rei ſuccurrat. Econtra contenditur *ibidem*, exinde quod regionis dominus cogatur, ut quantitatem pecuniariam praebeat Principi alicui, ad ſubjectionem illico, aut nexum clientelarem argumentum minus valere. Provocatur porro ad *Klockium* itemque *Magerum*, qui de contributionibus, metu ac vi extortis, commententur. Nihilominus haec cuncta ad praeſentem quaeſtionem haud collineant. Illi enim JCti de eo diſſerunt caſu, ſicubi exigens collectas facultate exigendi legitima ſit deſtitutus. Tum enim nequidem taciturnitas patientis proficit extorquenti, ob vitium vis ac metus, quod poſſeſſionis genuinae adquiſitionem valde impediat. Magnum autem Hetruriae Ducem onera, quae reliqui vaſalli Italici Imperio praebent, non declinare poſſe, neque adeo de metu quodam, ipſi inlato conqueri, hinc liquet, quod hucuſque dominium Imperii directum plurimis argumentis ſic fuerit explicitum,

tum, ut nemo, ſerenae frontis, amplius ſit futurus, qui de re manifeſta ambigat. Imperator Leopoldus Glorioſiſſ. Memor. nunquam imperaſſet tributa Magno Duci, ni ipſum numero reliquorum Italiae vaſallorum comprehenſum ſciviſſet.

LXX.

Praeclare autem eundem Auguſtiſſimum Caeſarem Imperii jura in Hetruriam conſervaſſe, teſtatur *Reſcriptum* ſub dato Laxenburgi d. 20. Maji An. 1701 ad Magnum Ducem in cauſſa Mantuana transmiſſum, quod apud *Antonium Fabrum Europeae Status Cancellariae Tom. VI. p. 624. ſeq.* conſpicitur, ubi praeſertim verba notanda: *Quemadmodum igitur perſuaſi ſumus, Dilectionem veſtram juſtiſſimae* ORDINATIONI *huic Noſtrae* IMPERIALI *facile aſſenſurum*, ita etiam Nobis *certo pollicemur, fore, ut et ipſa pro* NOTO NOBIS ALIAS AC DEBITO SVO FIDEI INTEMERATAE ZELO PROQVE JVRISJVRANDI, QVO NOBIS ET SACRO IMPERIO OBSTRINGITVR, RELIGIONE NOBIS IMMOTA ADHAERESCAT, *neque Gallicis vel Andegavenſibus Hiſpanicisque copiis militaribus, Ducatum Mediolanenſem aliaque Feuda noſtra Imperialia contra fas et nefas uſurpantibus ac depopulantibus, vel minimo adminiculo aſſiſtat, quin illos potius a ſe terrisque ac finibus ſuis vi et armis avertat et propulſet;* EXERCITVS vero NOSTROS OMNI BENEVOLENTIA, HOSPITALITATE *atque* ADIVMENTO PROSEQVATVR

TVR etc. Cui Reſcripto Imperiali Magnum Ducem contradixiſſe, nondum patet. Idem *Faber alleg. loc. p. 627. ſeq.* Patentes ad omnes Italiae Vaſallos, ſub dato Laxenburgi d. 20. Maj. Anno 1701. exhibet. Add. *Edictum ad omnes Italiae Vaſallos de Anno 1697. apud Lunigium alleg. loc. p. 679. ſeq.*

LXXI.

Objectiones reliquae, quae *p. 34.* moventur, nil efficiunt. Nam praeter contributiones, quae intuitu minorum Imperii feudorum a Magno Duce praeſtitae, longe ampliores etiam injunctas ac ſolutas fuiſſe, ubique compertum eſt. Quemadmodum Magnus Dux, multis paſſim documentis, fidem atque devotionem ſuam Caeſareae Majeſtati atque Imperio expoſuit, neque auxilia adverſus hoſtes, Italiae invaſores, denegavit, facinus Mantuani olim Ducis ſummopere deteſtatus. Ac, quamvis nimiam collectarum praeſtationem ſubinde fuerit deprecatus, confeſſus tamen hoc ipſo, ſeſe, tanquam Florentiae, Piſarum et aliarum ditionum, ad Dominium vetus ſpectantium, dominum utilem, Imperio non exigui quidpiam debere. Ad proteſtationes itidem, paſſim interpoſitas, ſat reſponſum fuit. Neque Electores, vel reliqui Imperii Ordines, querelis aliquem dederunt locum, nec potuerunt dare, probe ſcientes, Caeſaream Majeſtatem nil, niſi ſummo jure aequitateque innixum, poſtulaſſe. Nomina Italiae Vaſallorum pridem *Tabulis Imperii Cenſualibus* inſerta. Cui negotio nec Magni Florentiae Duces, nec alii Italiae Principes, reſti-

reſtitere. Sufficit igitur idem illud ad interrumpendam impediendamque omnem, tam ſuprematus, quam ſingillatim exemtionis a contributionibus praeſcriptionem. Porro Caeſar Ferdinandus II. Electoribus Anno 1630. Ratisbonae conſultantibus, teſte *Limnaeo Mantiſſ. ad Capit. Ferdin. II. p. 659.* oſtendit: *Ab Italicis Vaſallis, fortiori prope vinculo feudali Imperio obſtrictis, omnia onera tam perſonalia, quam realia praeſtanda eſſe, perinde ac a Teutonicis.* Ferdinandus III. etiam *Receſſ. Imper. de Anno 1641. §. 88.* promiſit, ſe Vaſallis Italiae ſubſidia neceſſaria imperaturum. Vid. *Mylerus de Princip. et Statib. Imper. C. XCIX. §. 8.* ubi teſtatur, ſe, dum Romae fuiſſet, poſtulatum extraordinariae collationis ex Literis Imperialibus, per S. Caeſareae Majeſtatis Legatum, *Comitem di Rauatta*, ad Italiae Principes et Vaſallos Imperii miſſis, cognoviſſe. Conf. *Fürſtener. de Jur. Supremat. C. LIII.* Add. *Limn. ad A. B. C. I. §. 2. obſ. 6. n. 25.*

LXXII.

Quid ſi autem concederetur, tot pecuniarias praeſtationes titulo ſaltem *honorarii* vel *ſingularis auxilii*, vel alio, a Magno Duce fuiſſe peractas, hunc pleniſſima a contributionibus immunitate gaudere, itemque temporis neceſſitati ceſſiſſe etc. nihilominus ſuprematus cauſſam parum adjuvabit. Feudalis enim qualitas ſine ſervitiis conſiſtit, naturale efficientibus tantum, quod integra clientelae eſſentia, aberit. Immunitate ab iſtis privilegio expreſſo, aut tacito, puta praeſcriptione, quaeſita, fides vaſallitica illico minus ex-

ſtin-

ſtinguitur. Quam regulamFeudorum Francorum, quae appellant, exempla evincunt. Huc forſan reſpexerunt S. R. I. Electores, ad propoſitionem Caeſaream, in memorato Conventu Ratisbonenſi celebratam, inter alia plura regerentes : *Imperium, praeter* JUS FEUDALE, *nil commodi e Ducatibus Mantuae et Montisferrati percipere.* Vid. *Limn. Mantiſſ. ad Capit. Ferdinandi II. p. 627.* Ubi tamen Electores non tam cauſſam iſtius rei legitimae tribuerunt exemtioni, quam hinc revocarunt praeſertim, quod Vaſalli Italici, excepto Sabaudo, ad Comitia Imperii minus ſoleant convocari. Quapropter Caeſarea tum Majeſtas magis conducturum cenſuit prudentiſſime, ſicubi Vaſalli Italici omnes Juris Civitatis Teutonicae redderentur participes, neque a ſuffragio in Comitiis excluderentur. Conf. id. *Limn. alleg. loc. p. 659. ſeq.* Idem innuere placuit jam antea Caeſari Carolo V, cum in Auguſtanis Comitiis Statibus declaravit, Contributionum Italicarum exactionem efflagitantibus : *Difficulter a Vaſallis Italiae collectarum impetrari exſolutionem, quia ſeſſione et ſuffragio in Comitiis deſtituantur.* Conf. *Limn. ad A. B. C. I. §. 11. Obſ. 6. n. 25.* Igitur ſat quidem liquet, Vaſallos Italiae ad onera, quae Decretis Comitialibus injunguntur Statibus, praebenda minus adigi poſſe. Quae tamen libenter ſubirent, ſi ipſi quoque Ordinum numero adſcriberentur. Neque tamen illi Vaſalli, quicquid ab ordinariis Procerum Imperii collectis exemti prope videri queant, extraordinarias collectas jure evitant, quum character Status ad effectum exhibendorum tributorum nullibi praerequiratur, plures quoque ſuffragio caren-

tes,

tes, Matriculis inſerti, neque privilegium forte cujusdam immunitatis ad caſus neceſſitatis ſit proferendum. Quae *obſervantia Imperii* abunde confirmat. Quicquid autem hujus rei cenſeatur, expeditum eſt, a libertate territorii cujusdam, finibus Imperii comprehenſi, quoad contributiones etc. perfectiſſima, ad ipſam libertatem; territorii independentiam quae contineat, perperam formari argumentum. Sufficit demonſtraſſe, ipſam feudalem qualitatem, qua Magnus Hetruriae Ducatus pridem adfectus, nullibi ſublatum, cujus, licet immunitas a collectis adeſſet, tot tantique deprehenduntur egregii effectus, ut ſupramatum, a Magno Duce praetenſum, non niſi ſumma indignatione Caeſarea Majeſtas atque Imperium intueri poſſint.

LXXIII.

Denique, ne ultima objectio *p. 35.* praetermittatur, commonendum eſt, exinde pro libertate Magni Ducis circa ſucceſſionis definitionem nil poſſe colligi. Nam Caeſarea Majeſtas, quum per *Excell. Dn. Comitem de Sinzendorff*, Electori Palatino, Joanni Guilielmo, litera quadam declararit, ſe ſperare, fore, ut Magnus Dux ita diſponat de ſuis territoriis, prouti Domui Auſtriacae conducat, non illico juri Imperii hic derogatum fuit, neque derogari potuit. Saltem de illo quaeſitum tunc fuit, quod Sereniſſ. Domus Auſtriacae referret, ac hujus ſecuritati proſpectum, ſi forte Magnus Dux diſpoſitionem, adverſariis ejusdem Domus commodam, ſuſciperet. Immo Caeſarea Majeſtas, ſicubi contextus literarum

R pro-

probe inſpiciatur, tantum non agnoſcit abſolutam Magni Ducis hic poteſtatem, ut potius innuat, minus licere illi de ditionibus ſuis ſtatuere in praejudicium Imperii et Domus Auſtriacae, cujus intereſſe Imperiali arctiſſime eſt connexum, ut a ſe invicem divelli minus poſſint. Ibidem etiam ſuprematus aut plenae libertatis et independentiae territorii Florentini nulla injicitur expreſſa mentio, quae ad iſtius rei agnitionem utique praerequiritur, praeſertim ſicubi dominium directum, ſuprematus veri naturae prorſus adverſum, antea tanta gravitate et conſtantia fuerit adſertum. Neque Caeſarea Majeſtas, Auguſtiſſimorum Praedeceſſorum glorioſa exempla glorioſe imitata, ullam praetermiſit juſtam et idoneam occaſionem, qua jura Imperialia in Italiae regiones clientelares tam univerſim, quam ſingulariter in Magnum Hetruriae Ducatum, ipſis *rerum documentis* vindicavit. Quae cunctis potiora ſunt *ſcriptis monumentis*, inprimis ad rem minus compatatis.

LXXIV.

Hac igitur ratione vindicato Imperii jure, quilibet, ſcripta prudenter ac juſte aeſtimans et argumenta, utrinque congeſta, expendens; perſpiciet, nullam ſupereſſe cauſſam, cur Magnus Dux de injuria veluti inlata *publica Deductione* conqueratur. Caeſares Romano-Teutonici tot olim beneficiis Familiam Mediceam exornarunt atque Principatum Florentinum ac Gubernationem Imperii in ditionibus Hetruriae commiſerunt. Quae igitur utilitas hinc redundabit

ad Imperium, ſi omnes iſti, qui non jure belli, aut alio titulo, quo liberae alias gentes Principesque provincias acquirunt, et, ſua auctoritate potentiaque innixi, regunt, ſed privilegiis publicisque diplomatibus, *limitate* conceptis, territoria poſſident, ſuprematum adfectare velint, ad originem poſſeſſionis minus reſpicientes. Jurium Regalium uſum libenter Imperium Magnis Ducibus hucuſque permiſit, immo mitius ſaepe cum ipſis egit; neque naturalium, omnibus Imperii clientelis regulariter cohaerentium, tantam alere voluit curam. Aſt hinc fruſtra colligitur, ſuprematum aliquem et immunitatem a vinculo feudali ipſomet agnoviſſe Imperium, quod dominium directum ſuum aliis idoneis modis conſervavit. Cur ergo aegre ferat Magnus Dux, Imperium nunc, exſtincta forſan ſobole maſcula, jus ſuum circa definitionem futuri ſucceſſoris urgere? Prorſus determinatio negotii ſucceſſorii magni ponderis exiſtit, quae apud ſupremos quidem Principes locum obtinet, non item illos, qui nexu quolibet alteri devincti. Enimvero ſi haec res non ex Feudalium ſolum Legum ſancitis dijudicetur, ſed Gentium quoque jure, apparet, etiam *foedere inaequali* junctum liberam circa ſucceſſionem in ditiones ſuas diſpoſitionem minus ſibi adrogare poſſe. Quamvis enim vis foederis inaequalis eo minus pertingat, ut inaequaliter foederatus alterius ſubjiciatur jurisdictioni, nihilominus omnis negotii effectus ſolius auxilii debiti limitibus vix coërcetur. Auxilia enim ſibi invicem debent quoque aequaliter foederati. Maximopere autem refert illius, qui in foedere inaequali ſuperior exiſtit, ſocium te-

ſtamento, vel pacto ſibi eligere minus ſucceſſorem; qui, forte extraneus, facile majora jura uſurpare poſſit ac foederis inaequalis leges violare, aliena potentia fultus. Putarit ſane quiſpiam haud inconcinne, foederis inaequalis indolem, hoc caſu, a feudali habitu parum diſcrepare. Romanis feuda fuere incognita prope; nec adeo conditae leges hujus generis. Potius ii Reges Aſiae, qui Romanum Imperium venerati, ſuprema tamen poteſtate retenta, foedus inaequale cum eodem partim ultro inierant, partim inire coacti. Neque tamen pleniſſima libertate, inprimis circa ſucceſſionis, pereunte familia regia, ordinationem inſtructi. Neque Romani unquam paſſi, ut ſucceſſorem, quemcunque vellent, extremi ejusmodi familiae, periodum fatalem, quem vocant, attingentis, denominarent. Potius auctoritate, ipſis debita, uſi Romani ſucceſſorem conſtituerunt, quem promiſſa a prioribus regum ſancte ſervaturum fore ſcirent. Si vero haec obtineant, ubi foedus inaequale ſaltem conſtitutum, quidni magis obtinerent, ubi vinculum feudale nexum ac jurisdictio ſuperiori parta. Conf. *Grotius de Jure B. et P. L. 1. C. 3. §. 23. n. 3.* quamvis iſte ſcriptor minus genuinum Feudorum Francorum conceptum ſibi formarit, quae in ſola obligatione perſonali conſiſtere, nec a ſpecie foederis inaequalis differre, perperam arbitratur, cum moribus Germanorum, quibus iſtud clientelarum genus invaluit, et aliarum Gentium itidem, jus in re, dominium directum ac utile, in Feudo Franco conſpiciatur; quare illud, exareſcente familia vaſalli, ad dominium directum tranſit pariter ac in aliis feudis

Digitized by Google

feudis contingit. Immo nemo diffitebitur, clientem quendam Principem, prole deſtitutum, ſine voluntate Advocati et Protectoris, de futura ſucceſſione vix ſibi proſpicere, cum itidem Advocati interſit, ad quem Principatus, clientelae obnoxius, perveniat. Neque hac parte foederis inaequalis et Advocatiae jurium nimia conſpicitur diſparitas. Jam vero, plus facultatis, quam ſimplicem protectionem ad Imperium in Florentinum territorium pertinere, demonſtratum fuit *§. XLVIII. et LIII.*

LXXV.

Quum ergo jus Imperii in Hetruriae Ducatum clariſſima comitetur et ſtabiliat veritas, adhuc plura et maxime neceſſaria quaedam, neque *Auctori Diſſertationis de Jure Imperii in Magnum Ducatum Etruriae, quae d. 9. M. Decembr. Anno 1721. Lipſiae* pugnam Scholaſticam experta eſt, ponderata idonee, de effectu totius quaeſtionis adduci debent. Equidem Florentiam regionem, quicquid obſiſtant immunitates, Magnis Ducibus, peculiari gratia, hinc inde relictae, merito Feudis Imperii adcenſeri, ſupra demonſtratum fuit. Aſt ſicubi concederetur, nexum omnem feudalem hic deficere, et Magno Ducatui puram patrimonii ſive allodii qualitatem inſitam eſſe, annon id poteſtatem ſtatuendi libere de ſucceſſione Magno Duci adſignaret? Enimvero compertum eſt, allodiales quoque Vaſallorum Imperii ditiones hujus dominatui ſupremo ſubjacere; quod eximium Publici Juris caput ſcite proſecutus fuit *Struvius de Allodiis Imper.* Jam poſſeſſo-

res Allodiorum, in quocunque dignitatis ordine verſentur, ſine conſenſu ſuperioris de bonis diſponere poſſunt, quare diſtant a Vaſallis, quibus hujuscemodi licentia Jure Feudali ademta. Verum, licet, Hetruriae Ducatum allodiis adnumerari, fas foret, tamen exceptio a regula vulgari conſpicietur. Conſideretur ſaltem Diploma Caroli V, quod haud obſcure ſucceſſionem in agrum Hetruſcum ad Familiam Mediceam adſtringit, neque exteros, ſine Caeſaris atque Imperii voluntate admittit. Dum enim cavetur, ut heredes et deſcendentes Ducis Alexandri maſculi, et illis deficientibus, proximior maſculus ex Familia Mediceorum, et ſic ſucceſſive atque in infinitum Florentinam ditionem gubernare debeant, non ſolum omnes feminae, ac ex iis prognati forſan maſculi excluduntur: unde, ſi Franciae Reges ideo praetenſionem, quam vocant, in Hetruriam excitare auderent, quod e Maria Medicea, Henrici IV. conjuge, Ludovici XIII. matre, deſcendant, injuſta petitio merito foret rejicienda; ſed etiam innuitur, exſtincta maſcula Mediceorum ſtirpe, dominium Florentinum ad Imperium redire, ac hoc poteſtate dein pollere, vel regimen priſtinum reſtaurandi, vel novum Principem ſuo arbitrio ſubſtituendi. Plane, ſi Principatus alicui jure patrimoniali et mere hereditario poſſidendus traditur, neque feminae a ſucceſſione arcentur, utpute quae, licet ipſaemet regere prohiberentur, jus tamen ſuum titulo connubii ad maritum transferre poſſunt, perpetuo Imperii uſu, neque tam ſingularis ſuccedendi modus et qui ad Feudorum indolem maxime accedat, praecipitur, potius

libera

libera diſponendi facultas diſertis verbis adſignatur, neque allodii qualitati facile detrahitur. Fac igitur, Florentinum dominium inſtar patrimonii a Mediceis detineri, omnis tamen rei effectus ceſſat, iſtorum ſtirpe exſtincta, ita, ut circa ſtatum futurum et ſucceſſorem definiendi poteſtate nequaquam gaudeant, quae potius Caeſari reſervata eſſe intelligitur. Certe, ſi verum dicere velis, in Magno Etruriae Ducatu conſpicitur *mixtura* feudalis et allodialis qualitatum. Iſta ſemet exſerit quoad *fidem et devotionem*, quam juxta omnia diplomata Imperialia Magnus Dux Imperio debet, et quae primarium clientelarum eſſentiale conſtituit. Iſta quoque exſerit ſemet quoad dominium ſupremum ſive *Superioritatem* (quae vox in diplomate Maximiliani II ſapientiſſime adhibetur) cum dominio directo feudali hactenus coincidentem, atque quoad inde dimanantem, eveniente caſu, conſolidationem et aperturam. Haec concernit facultatem, vi cujus Magnus Dux forſan a naturalibus feudi pluribus, v. c. petitione inveſtiturae etc. praeſtandis exiſtit immunis; ubi tamen obſervandum quoque eſt, veris quoque ac meris Vaſallis ſaepius ejusmodi naturalia, vel expreſſe, vel tacite, remitti ſolere, neque, uno aut variis naturalibus immutatis, reliqua illico converſa cenſeri. Conf. *§. XXX. et XXXIX.* Immo non incongrue autumatur, ipſos veros dominos allodiorum, ſi de Principatu patrimoniali, ſuperiori alicui ſubjecto, diſponere velint, id agere debere, ne in hoſtem quendam, vel extraneum, cui parum fidei tribuendum eſt, res transferatur, cum omnis illa licentia ita ſit comparata, ex mente ac voluntate

tate primi concedentis, ne in praejudicium *ſuperioritatis* detorqueatur, utpura cujus exiguus deprehenderetur effectus, ſicubi provinciae ſtatum ordinandi, exſtincta ſtirpe Medicea, facultas Caeſareae Majeſtati temere denegaretur. Denique facili ratione conjicitur, ipſum *Auctorem adverſarium* haec dogmata intellexiſſe, dum minus Magnum Ducatum pro Patrimoniali Imperii Principatu habuit, potius independentiam quandam, vel ſuprematum orbi obtrudit, cui quidem, uti quilibet rerum gnarus perſpiciet, larva abunde fuit ademta atque detecta.

LXXVI.

Verum ambigere quis poſſit, annon Senatus et Populus Florentinus hic etiam conſulendus prius foret, cujus maxime interſit, omnia probe et utiliter conſtitui? Aſt quemadmodum populus iſte reſtaurationem priſtinae immedietatis et libertatis, qua omnes Civitates Imperiales fruuntur, urgere non poterit, ni ſponte Caeſar et Imperium iterum indulgeant; ita neque circa ordinationem futurae formae aliquid juris, v. c. contradicendi, ipſi competit, quam pridem poteſtatem Caeſaream privativam et illimitatam agnorit, immo, cum Coſino principatum S. C. detulerit, diſertis verbis et Imperialis Decreti Carolini praeſcripta lege et norma ſeſe cuncta celebrare conteſtatus ſit. Sufficiet, cum Caeſarea Majeſtas privilegia, olim indulta, Florentinis relinquat, et eum, qui forte Principatum beneficio Imperiali obtinebit, ad ſervanda ea graviter adſtringat. Neque apparet, quomodo ſubdi-

ſubditi juſte Florentini de eo conquerantur, quod jam Hetruriae Ducatus qualitatem veri et proprii Imperialis Feudi, cui omnia naturalia inſint, ſortiri debeat. Nam merito exiſtimatur iſti, qui ſtatum regionum Europae paululum perveſtigavit, feliciores eſſe cives, qui ſub Principe, minus independente conſtituti, iſtis, qui ſupremum cujusdam et independens dominium reverentur. Illo enim caſu, cum ſuperior adhuc ſuperiori pareat eidemque ſubjectus ſit, veluti Principes Germaniae et Status, ac Principes quoque Itali, Caeſareae jurisdictioni obnoxii; non tam facile exagitare ſubditos poteſt, vel nimiis oneribus afficere, ac privilegia ipſis ſine juſta cauſa auferre, ni gravem coërcitionem domini ſupremi, ad quem ſubditi, inperterriti puta et facultate ſua ſtrenue utentes, confugiunt, juxta Conſtitutiones Imperiales, quae vaſallum quemcunque nimiam ob ſaevitiam feudo privari jubent, experiri velit. Aſt, cum Princeps a nemine pendet, longe facilius, ni alia obſtent, ad illimitatam poteſtatem adſpirat, et eam adquirit, cum nemo ſuperior adſit, qui Principem ad parcendum adigere valeat et ad quem recurrere poſſint. Sicubi enim extranei auxilium implorent, committunt quidpiam, quod ipſis extremum vitae, famae bonorumque periculum et jacturam mox acceſſat, cum Princeps, implorato extraneo vel minus ſubditis adſiſtente, vel potentia illius et viribus rejecto, et aliis rationibus opibus ſubditorum fractis, hoſce mox rebelles habere et acerrimis poenis proſequi conſueverit. Igitur vix quispiam ſerenae paululum frontis, *Auctoris adverſarii* nugas probabit, cum

in fin. Commentat. cenſet, *libertatem regionis* (Hetruriae) *opprimi, dum iſta feudum Imperii declaretur.* Sane videtur iſto dogmate magis *Machiavelli*, Florentini ſcriptoris ſat cogniti, imbutus eſſe, quam ea doctrina, quae non ſolum Principis regimini, ſed ſubditorum etiam ſaluti et commodis favet.

LXXVII.

Quam parum itidem Auctor iſte naturae Imperialium Feudorum gnarus exſtet, exinde liquet, quod *loc. cit.* arbitretur, maximam injuriam tunc inferri, ſi regio quaedam clientelaris efficiatur. Equidem nemo negabit, videri tum aliquam veluti capitis contingere deminutionem, ſi ſupremаtus Principalis tollatur, et forma ſubordinata ſtabiliatur. Sed ſupremаtum Florentinum imaginarium eſſe, pridem copioſe demonſtratum fuit. Interea, ſi quoque res abſtractive et ſimpliciter conſideretur, deminutio talis non adeo nocet, quam vulgus ſibi perſuaſerit. Iſte, quem Caeſar ſucceſſorem conſtituet, nil amittet (ceteris paribus) praeeminentiae, titulorum et auctoritatis debitae, in ſubditos exercendae, quicquid verus Vaſallus Imperii et tributarius efficietur. Certe tot Celſiſſimi Electores et Principes Germaniae, item Sabaudiae Dux, Vaſallos et ſubditos S. R. I. ſeſe ultro profitentur, contributiones praebent, coram Judiciis Imperii conveniuntur, proſcribi etiam, ſi pacem publicam graviter fregerint etc. queunt, neque minus tamen ſat libere ſubditos regunt, partim vi privilegii Imperialis, partim praeſcriptionis auxilio,

lio, vel pactionum, cum Ordinibus Provinciae initarum. Immo ii ipſi Principes foedera cum Regibus quoque certa ratione pangunt, jure legationum utuntur et in pluribus negotiis, totius Europae ſalutem concernentibus, concurrere ſolent; quod argumentum ſcite exſecutus eſt *Caeſarinus Fürſtenerius de Jure Supremat.* Denique *Ratio Status* jubet veluti, conſultius eſſe ei, qui regionem omni ſuprematu inſtructam poſſidet, neque tamen adeo valentem, ſed potentiorum multorum arbitrio obnoxiam ſaepius, ut, omni ſuprematu relicto, iſtam in clientelam offerat, quo dein protectione ſemper frui, ac majori ſecuritate adminiſtrare poſſit. Alioquin facile continget, ut ſuprematus noceat magis, quam proſit. Reges Boëmiae dudum prorſus ſeſe a nexu Imperii divellere potuiſſent, ni ſatius fore putaſſent, ſocietatem S. R. Imperii non deſerere, magis ideo in perpetua fide perſiſtere, quo protectio etiam et tutela Imperialis nunquam deficeret. Ais: protectionem S. R. I. alia ratione acquiri poſſe, nec opus illico eſſe, ut fides et devotio promittatur, ac ſuprematui renuncietur. Sed obſervandum eſt, eam conſuetudinem in Imperio haud invaluiſſe, ut protectionem regioni ſpondeat ac praeſtet ſine ullo commodo. Plane ſimplex protectionis jus nullam jurisdictionem producit, neque Majeſtati Imperii convenit, pro penſione veluti et ſtipendio, quod Teutones vocant Schutz-Geld, alios tueri. Magis protectio Imperialis praeſtruit vaſallagium, aut ſubjectionem certam, quae iſtam deinceps progignat. Atque iſtius rei effectus, quorum primarius prope in jure aperturae et conſolida-

S 2 tioni

tionis conſiſtit, veri et auguſtae Imperii dignitati conſentanei fructus commodaque aeſtimantur. Neque ulla in toto Imperii complexu deprehenditur ditio, in quam illud ſine fide et devotione advocatiae tantum jus exerceat, ni forte Ducatum Lotharingiae eximere quis velit; quem tamen jurisdictioni etiam, ſenſu laxiore acceptae, adhucdum Imperii ſubjacere, nil obſtante *Norimbergenſi Tranſactione de Anno* 1542. omnino exſtimatur. Conf. *Limn. de J. P. L. V. C. II. n. 3.* Si denique obvertas, Hetruriam, foederibus cum vicinis et exteris gentibus initis, facile conſervari, neque adeo Imperii tutela indigere, itemque non ignorare *regulam Juris Gentium*, quae variis caſibus *Neutralitatem*, quam vocant ſuadeat; reſpondetur, in foederibus ejusmodi parum ſaepius fiduciae reponendum eſſe, ac foederatum potentiorem utplurimum commodis magis ſuis inſervire, quam ſocii, apud quem, complementum pactionis urgere, et parem fructum adipiſci non valentem, nil remanere ſolet, quam vacuae ſpei, nec accepti, ſed erepti lucri triſtis recordatio. Deinceps neutralitas ipſa plurimis incommodis laborat et ſaepius magis expedit, potentiori inter duos belligerantes ſe conjungere, debita cautione tamen obſervata. Alioquin enim uterque territorium tranſit et ſub ſpecie innoxii tranſitus, multa mala incolis parat, quae ſi dominus vi repellere velit, utrumque facile hoſtem experitur, ſaltem, ni palam laedatur, acquieſcendo utriusque odium contrahit. Quum econtra alterius auxilio fretus, ejusmodi incommoda melius evitantur. Vid. *Conſil. Stat. apud Lunigium P. 1. fol. 1117. ſeq.*

ſeq. Plane Magnus Florentiae Dux majorem utilitatem adeptus fuiſſet, ſi, in noviſſimo bello Hiſpanico, partes Caeſareas, exemplo Sabaudi, magis amplexus eſſet ac Gallorum invaſioni vi reſtitiſſet. Cujus rei occaſione non immerito quaeritur, utrum Magnus Dux jure neutralitatem deligere potuerit? Enim vero ipſe confeſſus eſt in variis literis, ea de re ad Caeſarem Leopoldum perſcriptis, cauſſam belli immediate Imperium non attingere, ſed propius Domum Auſtriacam; deinde ſincere adfirmavit, territorium, quatenus Lombardiae fines attingit, munimentis valde deſtitui, nec ſubditos, gerendis armis adeo idoneos, quare, ne iſtud in nimium periculum adduceretur, offenſionem hoſtium deprecatus, alioquin praeſtatione illius et obſequio libenter promiſſo, quod ipſimet Reſcripto Caeſareo paulo ante injunctum fuerat, de quo ſupra *§. LXX.* Certe Caeſar, poſtquam Andegavenſis, una cum adjutoribus, in Comitiis plenis pro publico Imperii hoſte fuiſſet declaratus, Magnum Ducem ad arripienda arma compellere potuiſſet. Nihilominus Concluſum Comitiorum Germanicorum ad Vaſallos Italicos non adeo ſtricte proferre voluit, ſufficere ratus, ſiquidem Magnus Dux Imperatori *immota religione* adhaereret, hoſtes a finibus ſuae regionis arceret atque Caeſareos exercitus omni *benevolentia, hoſpitalitate atque adjumento* (ſunt verba reſcripti) *proſequeretur.* Cui etiam Reſcripto Magnum Ducem paruiſſe conſtat: immo, ſaepius frumenta ſive fodrum ac pecunias militares etc. fuiſſe exactas legitime et ſolutas, *Rationes et Liquidationes Commiſſariorum Imper.* evincunt.

LXXIIX.

Ne autem quid in illuſtriſſima illa materia intactum relinquatur, alia adhuc quaeſtio diſcutienda. Nimirum conſtat, duas Mediceae Lineas Domus exſtare, quarum una adhuc Principatum obtinet, altera vero, a *Juvenco de Medicis* originem ſuam derivans, titulo *Principis de Ottajano* utitur. Annon igitur hi Principes de Ottajano, linea regnatrice ſublata, ſuccedere debeant? Intelligendum autem eſt, iſtam lineam, Principatu Florentino ad Mediceos translato, Literis inveſtiturae, i. e. diplomate Caroli V, non eſſe comprehenſam. Nam ibi ſolum Alexandri ejusque deſcendentium, ac, his deficientibus, *proximioris agnati* mentio injicitur, quae diſpoſitio ſic accipienda eſt, ut innuiſſe cenſeatur Imperator *proximiorem agnatum*, ex eadem linea, unde Alexander prognatus, deſcendentem, nequaquam et alteram, ad quam prorſus non reſpiciebatur. Plane Carolus V. ſaltem ejectis Mediceis gratiam ſuam teſtatus eſt, uti diploma oſtendit. Ii autem, quos Principes de Ottajano appellant, expulſi non fuerant, quum ſeſe negotiis publicis haud immiſcuiſſent, potius alibi commorantes. Ejusmodi literae inveſtiturae et diplomata non adeo largiter explicanda ſunt, cum Carolus V. Imperii quoque commodis conſulere voluerit, neque caſus aperturae exiſteret facile, ſi omnes, qui Mediceorum nomen geſtant, ad ſucceſſionem admitterentur. Neque unquam liquet, iſtos Mediceos jus ſuum *eventualiter* in Hetruriam declaraſſe, vel de ſucceſ-

ſione

Digitized by Google

ſione aliquando capeſſenda fuiſſe ſollicitos. Ubi animadvertendum, in omnibus Imperii Feudis morem certum invaluiſſe et regulam, quae omnes agnatos arcet, qui in prima, quam adpellant, inveſtitura haud comprehenſi ſunt, vel, ut prorogatio fieret et extenſio, haud petiere, aut impetrarunt.

LXXIX.

Ceterum, ne bona, quae a Magno Duce poſſidentur, invicem commiſceantur, commonendum eſt, Florentinam et Piſanam terram et reliquas civitates, eo pertinentes, immediate, ſtirpe Medicea exſtincta, ad Imperium reverti ac huic competere facultatem, ditionem vel domaniis Caeſareis innectendi, vel alii tanquam Vaſallo ſub quibuscunque conditionibus concedendi. Quod autem Senenſem agrum attinet, is quidem etiam finibus Imperii comprehenſus eſt ac hujus dominio directo ſupremo obnoxius, neque tamen, caſu iſto exiſtente, Imperio adquiratur, potius Duci Mediolanenſi. Nam, cum ante haec urbs, quae itidem proprio jure ac magiſtratu utebatur, et Imperio immediate ſubjecta erat, Vicariis ſaepius quoque gubernata ac Caeſaribus morigera, ni Guelphi praevalerent rebelles, uti ex infinitis Hiſtoricorum et diplomatum conſtat locis, a Carolo V. etiam ad obſequia fuiſſet reducta, ea conditione, *ut Caeſar civitatem ac Rempublicam Senenſium in* FIDEM *ſuam et Imperii acciperet*, teſte *Thuano Hiſt. L. XV.* contigit, ut Caeſar iſtam, titulo beneficiario, filio Philippo II. tanquam Mediolanenſium Duci

Duci itemque utriusque Siciliae Regi, traderet. Conf. *id. Thuanus cit. loc.* qui ita de re diſſerit: *novum Caeſar inſtrumentum confici mandavit, quo ditionem Senenſium* JVRE IMPERII *ad ſe devolutam Philippo filio conceſſit.* Hic autem Philippus Anno 1557. iterum agrum Senenſem Coſmo ceſſit ac ipſum de eo, dato diplomate, inveſtivit, uti ipſe *Auctor ſcript. adverſ. p. 28. et 29. pr.* teſtatur, neque unquam a Magno Duce negatum fuit. Hinc liquet, quanta incrementa accedere mox poſſint Ducatui Mediolanenſi potentiſſimo, qui nunc ex Hereditate Hiſpanica ad Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam pervenit, hac ſingulari praerogativa eminens, ut ad feminas quoque, deficientibus maſculis, transgrediatur, juxta privilegium *Caroli V*, quod apparet ex literis Inveſtiturae, Philippo Anno 1549. traditis, apud *Andlerum Corp. Conſt. Imp. Tom. II. f. 1364. ſeq.* ibi: *deficiente vero linea Maſculina, ſuccedat et ſuccedere debeat in dicto Mediolanenſi Dominio et Comitatibus Papiae et Angleriae cum eorum pertinentiis* FILIA PRIMOGENITA etc. Eadem eſt ratio Inſulae *Ilvae ſeu Elvae*, quae, quamvis originarie ad Caeſaream jurisdictionem pertineat, uti *Thuanus L. V.* refert, tamen a Carolo V. itidem Philippo filio et ab hoc, *partim*, Coſmo I. titulo fiduciario data fuit. Adeo Senae et inſula iſta invicem cohaerent ac haec in ejus civitatis territorio una cum oppidis, *Monte Alcinoi*, *Poggio Prato*, *Groſſeta*, *Soana*, *Pienza*, *Rapolano*, *Radicofano*, *Piano*, *Iſchia*, *Coſmopoli*, et *Porto Ferrario* conſtituta eſt. Ubi tamen notandum eſt, *Radicofani* cum *Burgo S. Sepulchri* dominium directum *ſubordinatum* ad Pontificem Romanum ſpectare.

LXXX.

Digitized by Google

LXXX.

Diviſione igitur juſta et diſcretione feudorum et ſubfeudorum Imperialium inſtituta, apparebit, ſequentes ditiones, ſublata ſtirpe Medicea, ad Imperium devolvi: nimirum 1) territorium) *Florentinum*, ſpeciatim conſideratum, quod complectitur *Florentiam*, *Piſtojam*, *Empolim*, *Filateriam* (de quo oppido pariter ac de *Terra Roſſa*, *Luſulo* et *Ricco*, impetrata prius feloniae, commiſſae ob non petitam inveſtituram, condonatione, Magnus Dux Anno 1701, a Caeſare Leopoldo inveſtitus fuit) *Aretium*, *Montem Politianum*, *Cortonam*, *Fieſolam* etc. 2) territorium *Piſanum*, quo continentur ipſaemet Piſae et alia oppida, quamvis incelebria et minuta; 3.) Marchionatum Lunenſem, *Lunigi*, qui etiam verum Imperii feudum exſtat; 4.) egregium ad mare Mediterraneum portum Liburni, *Livorno*, qui navigationibus et commerciis exercendis maxime idoneus ac inſigniter itidem munitus eſt. Ceterum idem portus, ut antea, liber (Frey=Hafen) permanere debet, juxta *Tractat. Quadrupl. Foeder. Art. V.* Cui rei favor commercii et liberae navigationis, Hetruriae multum commodi adferentis, merito cauſſam ſuppeditavit; 5.) Civitatem *Pontremolii*, quae olim ad Ducatum Mediolani pertinuit, emptionis titulo Hetruriae inſerta. Vid. *Limn. ad Capit. Ferd. IV. Art. 31. p. 848.* quem excitat *Itter, de Feud. Imp. C. VI. §. 22.*

LXXXI.

Econtra S. Caeſarea Majeſtas Magno Duci facultatem de allodiis, territorio Imperii feudali forſan miſtis, teſtamento, vel alia ratione diſponendi haud adimet. Allodiales Procerum quidem Imperii ditiones iſtius jurisdictioni quoque parent,neque pro *Feudis ſolaribus*, commento vulgari nixis, haberi debent; a qua Regula nullibi exemta Magni Etruriae Ducis patrimonia, quicquid noviſſime *Auctor Fecialis Europaei P. II.f. 723.* cenſeat, praeter bona clientelaria, quibus Florentiam diſerte addit, multas adhuc ditiones allodiales Magnum Ducem poſſidere, a nemine, niſi Deo dependentes; utputa qui ſcriptor itidem ſuprematum ſibi finxit, minus genuinum, iſtius indolem ex complexu omnium Regalium ac exercitio perperam dijudicans, Gallico quoque vocabulo, *la Souveraineté*, mirifice, quoad Principes inprimis Italicos abuſus. Nihilominus major circa quamlibet alienationem, ſicubi obedientia, Imperio debita, maneat illaeſa, nec damnum et incommodum hinc emergat, poſſeſſoribus iſtiusmodi bonorum licentia merito tribuitur. Jam autem obſervandum quoque eſt, maxime inter allodia diſtinguendum eſſe. Plane urbs Florentina ante erectionem Principatus Medicei, pariter ac aliae civitates Imperii immediatae, allodium magis extitit et ſubjecta pridem fuit, neque adeo proprie Feudis Imperii adnumerari debuit. Aſt, Principatu conſtituto, clientelarem habitum et feudalem induit etiam Tuſcia ita, ut omnes illae terrae,

quae

Digitized by Google

quae tum Territorium Florentinum ac Piſanum conſtituebant, Alexandro titulo beneficiario tribuerentur; uti ſupra explicitum fuit, Igitur iſti agri omnes pro mere allodialibus haberi nequeunt. Econtra iſti fundi, qui ab ipſis Magnis Ducibus, conſtituto jam Principatu, acquiſiti fuere emtione, vel aliis titulis, allodiales facilius exiſtimandi, puta ſicubi qualitas patrimonialis adpareat, neque poſſeſſores unquam de iis fuerint inveſtiti. Nam, ſi res in dubio verſetur, putamus, ad Feuda Imperialia *Regulam*, de praeſumtione pro indole allodiali formatam, haud ſpectare. Tanta quippe Principatuum beneficiariorum ac Comitatuum copia, cui exiguae ſaepius particulae patrimoniales interſperſae, nullo modo comparantur, dogma illud excludere videtur. Quicquid particulae hae olim praeſtiterint, ſenſim tamen clientelarem habitum induerunt ſic, ut a feudis aegre jam dignoſcantur, poſtquam inprimis Vaſallorum incuria diſcretionem, Inveſtiturae literis inſerendam, vel alia ratione perficiendam, neglexit. Conf. *Diar. Europ. Part. XXV. p. 167. ſeq.*

LXXXII.

De Theſauro Florentino, qui eximius, non immerito quaeritur, annon, quamvis dominium directum Imperii in Etruriam pateat, de hoc in favorem alicujus Magnus Dux diſponere valeat? Enimvero, ſicubi adhuc juxta intentionem Potentiſſimorum Foederatorum (Quadruple Alliance) Carolus, filius ſecundo-genitus Philippi, Hiſpaniae Regis, ſuccedere debeat, facile

le quis exiſtimabit, theſaurum quoque ipſi adquiri, cum ſequatur territorium, tanquam principale, ni ea de re aliter caveatur. Fac autem: Florentiam inſtar domanii ad Imperium redire, nonne tunc Gaza quoque devolvetur a Magno Duce, aut ejus poſteris non alienanda? Certe cenſendum eſt, Magnum Ducem nil hic in praejudicium Caeſaris ſuſcipere poſſe, quum theſaurus maxime ex proventibus provinciae ſit comparatus, ac proin pro innexo veluti et acceſſorio ſit habendus, quem divelli et ad extraneum, qui iſto forſan contra Imperium deinceps uteretur, transferri, fidei et devotioni, qua Magnus Dux Imperio devinctus, minus conciliaretur. Plane, ut res clarior reddatur, inter genera theſaurorum diſtingui debet. Alii enim ſunt theſauri privati, alii publici et ad ſplendorem repoſiti. De illis non quaeritur, nec de gemmis quibusdam, vel apparatu Principis privato; utpute quae omnia ad foeminas quoque ſolent tranſire, cum particulas hereditatis allodiales efficiant. Aſt de Gazis publicis loquimur, qualis eſt Medicea. Atque hanc territorio cohaerere ac primogenito accedere, nequaquam Apanagiatis, vel foeminis, jam tum aliquando judicatum fuit, teſte *Springsfeldio de Apanag. C. XI. n. 255.* Profecto, ſi ejusmodi theſaurum, pridem eo deſtinatum expreſſe, aut tacite, ut territorio connexus ſit, Princeps ſine conſenſu agnatorum alienare nequeat, quorum apprime intereſt, ipſum conſervari, ex reditibus publicis boni publici gratia et ratione neceſſitatis etiam futurae habita, fuerit conflatus ſedulo; neque ejusmodi alienatio et diſſectio valebit, ni-

ni conſenſus domini directi adhibeatur, cujus graviter refert, nec levius hic jus deprehenditur, quam agnatorum. Equidem Medicei, antequam ad Principatum Tuſciae evecti fuiſſent, plures jam opes e mercatura praeſertim ac negotio argentario et uſurario, quod diligenter exercuerant, collegere. Attamen tum demum theſaurus, qui hodie Florentiae conſpicitur, congeri inprimis coepit, poſtquam gubernatio adquiſita. Singulariter autem Ferdinandus M. Dux theſaurum egregie adornavit, utpute qui tantas divitias comparaverat ex reditibus provinciae, ut ultra X. Myriades ſeu *Milliones*, quos adpellant, pecuniae, neque minus aliquot pretioſorum *Milliones* reliquerit, praeter vaſa aurea et argentea aliasque maximi pretii res. Quapropter, quum plerumque iſtae divitiae beneficio Imperiali debeantur, incongruum foret, plenam de iis ſtatuendi licentiam Magno Duci vindicare.

LXXXIII.

Quum igitur Aula Florentina cognoſcet melius Jura Imperii in Hetruriae *Dominium vetus,* de quo nunc quaeritur, ac de iis exactius erit inſtructa, nil obſtabit amplius, cur eadem intentionem S. Caeſareae Majeſtatis, et potentiſſimorum ejusdem Foederatorum juſtiſſimam libenter minus amplectatur, praetenſione cujusdam ſuprematus et independentiae prorſus derelicta. Enimvero iſta mature perpendet, quam grave ſit, dominium directum, tot actibus probatum, immo ex ipſis Scriptoribus et

Hiſtoricis coaevis ac Italis (qui hic magis attendendi, ſi pro Jure Imperii loquantur, quam monumenta ex Archivo Caeſareae Majeſtatis domeſtico depromta) deductum ac genuinis Diplomatibus, utrinque agnitis, ſine juſta ac ſufficiente cauſſa pernegare et plenam adfectare libertatem. Quo facto id plurimum conducet ad promovendam ac firmandam magis Italici Regni tranquillitatem, omnesque alias diſſenſiones evitandas. Neque minus obſtringet idem S. Caeſaream Majeſtatem atque Imperium ad Magnum Ducem, ejusdem familiam et cunctas feudales regiones ſubditosque, quibus nexus clientelaris Magni Ducis nil unquam officiet, adverſus omnem injuſtam vim quovismodo tuendos, quandoquidem non ignorant, feudi cujusvis praeſertimque Imperii Regalis indolem reciprocam poſtulare obligationem.

LXXXIV.

Defenſo igitur et ſatis demonſtrato Imperii in Etruriam jure itemque effectu totius rei laxius explicito, nil ſupereſt, quam ut juſtiſſimae S. Caeſareae Majeſtatis ejusque potentiſſimorum Foederatorum diſpoſitioni et Italiae maximum ſalutari feliciſſimum exitum ſucceſſumque devote apprecemur, ſperantes, fore, ut Aula Florentina mature, exactius cognitis argumentis, pro Imperio graviter pugnantibus, cauſſam praetenſi ſupremarus et libertatis deſerat, ac ordinationem futurae ſucceſſionis S. Caeſareae Majeſtatis arbitrio ſapientiſſimo relinquat, quae ſane negotium ſic expediet, prouti Majeſtas Imperii Romano

no-Germanici, ſalusque publica tam Italiae, quam ſpeciatim Hetruriae poſtulare videbuntur. Certe, cum ſemel optimum perfectiſſimae reconciliationi ſtabiliendae medium placuerit, ſicubi Florentiae itemque Parmae ac Placentiae Ducatus Carolo Andegavenſi, exſtincta Mediceorum et Farneſiorum Ducum ſtirpe maſcula, traderentur, itidem prudentiſſime jus Imperii clariſſimum in iſtas ditiones fuit reſervatum. Nam, ni ejusmodi clauſula fuiſſet adjecta, Imperii Ordines facile de negotio, ſine ipſorum conſenſu et in praejudicium celebrato, conquererentur. Deinde perſpectum probe fuit, ſuprematu Carolo conceſſo et omni nexu Imperii diſſoluto, mox contingere poſſe, ut hinc graviſſimae turbae in Italiae oris oriantur ac Magnus Dux iſte aliquando ad Regiam dignitatem ſit adſpiraturus, qua uſurpata, et viribus aliunde adauctis, facile maxima Italici Regni pars occupetur, atque Imperii et vicinorum Principum res in maximum adducatur periculum. Enimvero ſat cognitum eſt, quam ſuperbientes ſpiritus adquiſitio Regii axiomatis ſoleat inſtillare et quam noxium foret Imperio et Domui Auſtriacae, ſi aliquis inter Italiae Principes ad hujusmodi faſtigium proveheretur. Certe Philippum II. Hiſpaniarum Regem, itemque utriusque Siciliae, atque Mediolani Ducem, Rudolphum II. Caeſarem, egregio conſilio ſuggeſto, a conceſſione characteris Regalis, Ferdinando I. Magno Duci ſubtiliter efflagitata, dimovere fuiſſe anniſum, jam ſupra fuit commemoratum. Neque *Ratio Status* eadem pati videtur, ut forſan Sabau-

diae

diae Duci *titulus Regis Longobardici, una* cum portione Ducatus Mediolanenſis, a Caeſarea Majeſtate et Auguſta Gente Auſtriaca concilietur, etiam ſi Dux iſte Sardiniae Regnum, nuper pleno jure comparatum, contractu permutationis, moribus gentium itidem frequentatae, veluti celebrato, cedere vellet eoque prorſus ſemet abdicare. Cui ſententiae firmandae accedit, quod Caeſar ipſemet Rex Longobardiae conſpiciatur, licet coronatio Mediolanenſis diu hucusque fuerit intermiſſa. Quapropter colliſio mirifica jurium atque titulorum emergeret, quando in uno regno duo Reges deprehenderentur. Neque facile quis ambigat, quin conſultius ſit, terras, in continenti ſitas ſolo, ac tam egregie munitas, incolisque ditioribus repletas, omnisque generis fertilitate abundantes obtinere, quam inſulam, tot periculis ac piratarum aliorumque hoſtium incurſionibus expoſitam multisque commodis deſtitutam, ſub poteſtatem redigere. *Rationes* igitur *Politicae*, hic enumeratae atque exactius ponderatae, tanti extant momenti, ut, quicquid verus et genuinus appareret ſupremaтus Florentinus, et ſumma de ſucceſſione ſtatuendi libertas Magno Duci competeret, tamen hic prorſus ſuo arbitrio, excluſis aliorum conſiliis, fruſtra uteretur. Quis enim Principem prohibebit, quo minus omni modo licito utilitati ſuae proſpiciat atque a damnis metuendis ſibi caveat? Idcirco cum vicinus quidam Princeps intuitu ſucceſſionis quid diſponeret, vicino noxium nimisque moleſtum, hic omnino, ipſo *jure Gentium* indulgente, de re conqueri ac vi quoque conſilia iſtius infringere poterit. Atque in omni-

omnibus Principatuum ſucceſſionibus *Ratio Status* etiam, quae juſto et aequo nititur fundamento, ſpectanda eſt. Neque apparet, quomodo ipſe Rex Hiſpaniae, vel ejus filius Carolus, ſucceſſor deſtinatus, ſupremacum urgere adeo valeant, cum iſte *Foederi Quadruplici* acceſſerit, atque *Conditiones futurae Pacis* comprobarit. Sicubi ergo ipſe Hiſpaniae Rex, alioquin ſat grandes ac domui Auſtriacae praeſertim hujusque juribus, tam manifeſtis, graviter adverſas neque idoneis argumentis ſuffultas, a *Ratione Status* quoque, hoc aevo orbi Europaeo accepta, longe remotas, quas vocant, *Praetenſiones* adhucdum excitans, conditionem optimam et maxime neceſſariam ſucceſſionis Florentinae negotio adjectam, non detrectet, nec detrectare debeat, quum alias reliquorum *Pacis Capitum* expeditio interpolabitur adeoque in Italiae regionibus praecipue violentae prorumpent diſſenſiones; cur, quaeſo, Magnus Dux de propoſitione illa conqueretur, cujus magis refert, ſucceſſorem adipiſci, Imperii beneficiarium, quam conatibus iſtius determinationi, itemque Regum Foederatorum, ſincerae et ad praeſentem rerum ſtatum inſigniter accommodatae intentioni repugnantibus, aliquid excitare, quod Tuſciae nobiliſſimam provinciam atque ſubditos ad ſummam calamitatem protrahere poſſit, ac univerſae Italiae quietem profligare. Certe Domus Auſtriacae plurimum intereſt, publicam ibidem tranquillitatem conſervari, cum tot potentes et validas regiones Italicas poſſideat, inſigni Senenſis Territorii acceſſione aliquando augendas. Unde merito de mediis ido-

U neis

neis eadem cogitat, quibus fieri poſſit, ut ſucceſſio Florentina ſic definiatur, ut non ſolum Imperii juribus proſpiciatur, ſed quoque propria commoda promoveantur, quorum perpetua incrementa illorum indoli magis conveniunt, quam ſi exteri Principes, Imperio ante non ſubjecti, vel alio ullo nexu devincti, et ceteroquin aliena potentia freti, neque Germaniae ſalutem nimis curantes, gubernatione ampliſſimae regionis Italicae inſtruantur. Quae ratio itidem efficit, ut exiſtimetur, ſatius aliquando fore, ſicubi Parmae ac Placentiae dominia ad veterem Mediolani dominationem regrediantur.

FINIS.

DO-

DOCUMENTA.

A.

Tenor compoſitionis inter Carolum IV. Regem Romanorum, et Florentinos an. 1355. initae: ex SCIPIONIS AMMIRATI hiſt. Flor. L. XI. p. 571. ed. Florent. 1647. f.

Essendoſi dunque gli ambaſciàdori ſtretti con Ceſare, dopo molte conteſe, per le quali egli proruppe ad ira grandiſſima, fu conchiuſo l'accordo conqueſti capitoli. Che Carlo Re di Boemia, elètto Imperadore caſſàva, e annullàva tutte le ſentenze, et condennagioni, le quali per addietro foſſero fatte ò pronunziàte contro la città, cittadini, et comùne di Firenze, et ſuoi contadini; et contra i conti da Battifolle, da Doàdola, da Mangona et da Vernia per gl' imperadori Romani, et re de Romani ſuoi anteceſſori, et tutti et ciaſcuno intero reſtituiua ne ſuoi honori, giuridi ioni, et domìni perſonali et reali. Che' l comùne, popolo, città, contàdo, et diſtretto di Firenze ſi reggeſſe ſecondo gli ſtatùti, et le leggi municipali, e ordinamenti conſuèti del detto comùne, con facoltà di poterne fai di nuouo, i fatti approuando, et confermando aſſolutamente, et quelli da farſi, in quanto le comune leggi eſpreſſamente non li riprouaſſono. Che i priori dell' arti, et gonfaloniere della giuſtizia, che ſono, et che per i tempi ſaranno all' vficio del prioràto, ſieno irrevocabili ſuoi vicari, il tempo della ſua vita. I Sindaci dall' altro canto à voce, e à nome della Repùblica doueſſono à lui in pubblico far la ſommeſſione, et l' vbbidienza, riconoſcendolo per vero eletto imperadore. Che per tutto ciò che obbligàti foſſono per li tempi paſſàti infino al preſente à lui, e à tutti ſuoi anteceſſori, per qualunque ragione, ò cagione dire ò nominar ſi poteſſe, et per tutte le terre, che il detto comùne

 tiene,

tiene, e hà tenùte in ſuo contàdo, et diſtretto, promettesſono per tutto, agoſto primo, in quattro paghe fiorini cento mila d'òro, che ogn'anno del meſe di marzo doueſſono dare al detto imperàdore Carlo, alla ſua vita ſolamente, quattromila fiorini d'òro, per compenſazione di cenſo, in quel che le città di Toſcàna foſſero tenute di ragione all'Imperio, e oltre acciò per tutte, et ſingule quelle coſe, le quali il detto comune per ſe, et per lo ſuo contàdo, et diſtretto dire ſi poteſſe, che all' Imperio foſſono ad alcuna coſa obbligàti. Volſe che i banditi e èſuli dalla città di Firenze, per hauer adherito, ò ubbidito à Arrigo imperadore foſſero rimeſſi, con godere delle coſe loro, non gli liberando da altri bandi ò condennagioni, caſo che ne haueſſero per altro. Che non impedirebbe il comùne et popolo di Firenze nel gouerno della città, caſtelli, tèrre, et luoghi che poſſedeua, gouernaua et cuſtodiua in tutto ò parte; Nè à richieſta d' altri gli pigliarebbe l'armi contro, ò ſarebbe di potenza; come non ſarebbe nè anche precetti penali, perche rilaſciaſſero ò reſtituiſſero; ma amminiſtrerebbe giuſtizia con citazioni, et ſentenze; et tutto volſe che non s'intendeſſe in pregiudizio delle tèrre et luoghi che il comùne di Firenze teneua in pegno dagli Aretini, a'quali rendendo il danàro foſſero reſtituite. Queſti furono i capitolì ſtipolàti tra Ceſare e Fiorentini, pubblicàti il ventuneſimo giorno di marzo nel duomo di Piſa.

B.

Tabulae foederis inter Rupertum Regem Romanorum ac Florentinos initi: ex MARTENII Theſ. anecd. T. I. p. 1662.

PUncta tractatus inter ſereniſſimum Principem, *Dominum noſtrum Regem Rupertum*, et ambaſſiatores Florentinos.

Inprimis ſereniſſimus princeps *Dominus noſter Rex*, pro expeditione celeriori principum, procerum, baronum, et militum ſecum ducendorum in Italiam, vult dono *a Florentinis*

tinis ſervitoribus ſuis fideliſſimis ducenta millia ducatorum, cum quibus poſſit intrare Italiam, in exterminium comitis Virtutum, et pro honore imperii et *favore ſuae fideliſſimae civitatis Florentinae*; de quibus quidem ducentis millibus ducatorum, vult in *Abinania* (ſ. Allemania) valorem centum decem millium ducatorum, quos ipſe dominus Rex reperiat a mercatoribus Alamannis, vel ab aliis: quibus mercatoribus, dicti *Florentini ſervitores ſui* teneantur facere promiſſionem, de ſolvendo in civitate Venetiarum, dicta centum decem millia ducatorum, ſub conditione, ut infra dicetur.

Item, quod dicti Florentini reliquam ſummam dictorum ducentorum millium ducatorum dare debeant dicto domino Regi, videlicet ducatos nonaginta millia in dicta civitate Venetiarum, vel alibi, ubi commodius et habilius fuerit domino Regi et Florentinis, pro ſatisfactione ſtipendiariorum, ad duos menſes proxime futuros, incipiendos a die primae ſolutionis vel promiſſionis faciendæ dictis mercatoribus, videlicet cum dictus dominus noſter rex fuerit in Italia cum felici exercitu ſuo, ad invadendum territorium comitis Virtutum hoſtiliter et potenter, excluſis dolo et fraude.

Item, quod dicti Florentini, in caſu neceſſitatis, pro tribus menſibus teneantur mutuare dicto domino Regi, uſque in ſummam ducentorum millium ducatorum, mutuandorum de menſe in menſem, prout pro rata contingit, de quibus quidem ducentis millibus ducatorum dictus dominus Rex teneatur et debeat facere et praeſtare idoneam cautionem de reſtituendo ad terminum, de quo concordes fuerint, dictis Florentinis.

Item, quod dictus dominus Rex concedat in forma petita, et de quo majeſtati ſuae . . . coperiam, privilegium dictis Florentinis, videlicet toto tempore vitae ſuae duntaxat, ita tamen, quod dictus dominus noſter habeat cenſum annuum . . . . . . juxta quantitatem et qualitatem, prout Florentini ſecum concordabunt.

Item, quod promiſſio facienda, ut ſupra dicitur, per

 Flo-

Florentinos, fiat ſub iſta conditione, ſi et quantum dictus dominus noſter rex tranſeat in Italiam, anno praeſenti, et habeat terminum ad tranſeundum in Italiam a die, qua pecuniam receperit, ſeu promiſſio facta fuerit mercatoribus, ad unum menſem cum dimidio, tunc proxime futurum, ſalvo, quod ſi mors, quam Deus avertat, invaſerit eum, ut eſſet in itinere praeparatus cum dicto exercitu, quod tunc in eo caſu promiſſio libera ſit et firma, videlicet quod Florentini amittant pecuniam, et dominus Rex, quod ſimiliter Deus avertat, perſonam.

Item, quod dominus noſter rex teneatur et debeat, pro poſſe delere ſtatum, et dominium dicti comitis Virtutum, et eum totis viribus ſuis perſequi, et ipſam civitatem Florentinam, commune, et populum Florentinum manu tenere in libertate ſua, ſtatu et donatione (l. *dominatione*) conſervare.

C.

Privilegium Ruperti Romanorum Regis Florentinis conceſſum an. 1401. ex Mſc.

Rupertus ad perpetuam rei memoriam. Decet Regiam Majeſtatem qualitatem reſpicere *ſubditorum*, et illos propenſiori gratiae munere proſequi, quos devotionis et fidei conſtantia et toleratione laborum viderit plus mereri. Conſiderantes igitur dilectos filios, *populum et communionem Florentiae*, ſuper omnes Italiae populos erga S. S. Rom. Imperium, ad cujus apicem Deo dante, ſicut ordinati ſumus, ſic intendimus pervenire, *ſemper ſe fideliter habuiſſe*, Regibusque Roman. et Imperatoribus legitime conſtitutis, juſteque proſequentibus caeptae *devotionis officium*, *et obedientiae debitum* praeſtitiſſe, nec non et imperii jura ſingulariter conſervando, ſuae libertatis theſaurum inaeſtimabilem, non animi magnitudine ſolum, ſed multo omnium expenſarum

rum onere, profuſioneque ſanguinis defendiſſe, non videmus cui juſtius omnis favor, cuique convenientius omnis gratia debeatur. Quamobrem attendentes omnes illius populi vires et potentiam robur imperii, et fortitudinem noſtram eſſe, terras omnes atque civitates, propugnacula, villas, provincias, et caſtra, quae per dictum populum et commune tenentur, reguntur et gubernantur, quaeve poſſidentur, aut cum eis aliquo ſubjectionis foedere incluſa ſunt, aut quae ex contractu, vel quaſi contractu quopiam, teſtamento, codicillis, donatione tam mortis, vel inter vivos aut aliqua alia ultima voluntate, vel inter vivos titulo, quae omnia tenore praeſentium, ex certa ſcientia *confirmamus et approbamus*, ad dictum populum et commune quomodolibet pertinerent, aut perveniſſent, ſive in quibus populus, et commune praefatum jus, cuſtodiam vel jurisdictionem, aut praeeminentiam habet, et ad praeſens dignoſcitur obtinere, maximeque civitates, provincias, caſtra, terras et loca, quae nominatim inferius deſcribentur, eidem populo communique Florentiae *regiae majeſtatis auctoritate*, animo deliberato, et ſano principum, procerum et baronum noſtrorum accedente conſilio, et conſenſu, et ex certa ſcientia libere donamus, concedimus et largimur, cum omnibus eorum juribus, et pertinentiis, curiis, territoriis, et comitatibus, atque diſtrictibus, hac edictali noſtrae benignitatis epiſtola, perpetuoque reſcripto jubentes, declarantes et decernentes, ea omnia ad eundem populum, et commune jure pleniſſimo pertinere, etiamſi feudalia forent, vel aliquo tempore fuiſſe feudalia dicerentur, aut dici poſſent; non obſtante, quod ad nos vel praedeceſſores noſtros, vel ad divas auguſtas, vel *in fiſcum, aut imperialem, vel auguſtalem menſam, vel cameram eſſent, vel dici poſſent quomodolibet devoluta*, vel etiam ſpecialiter aſſignata, ea omnia de plenitudine poteſtatis, et omni via, ratione vel jure, quo melius et validius poſſimus, praelibato populo, et communi, jure pleniſſimo concedentes, volumusque *cuncta Regalia tributa, peda-*

gia

dolibet deputandos, regi et gubernari debere, ſecundum formam ſtatutorum et ordinamentorum dicti populi, et communis nunc vigentium, vel quae impoſterum ederentur, quae ſtatuta et ordinamenta, et omnes alias quaſcunque leges municipales, dicti populi et communis Florentiae, tam editas, quam edendas cum mutationibus, et correctionibus, quas faceret, vel feciſſet dictus populus et commune, confirmamus, et approbamus, jubentes eas habere pleniſſimam roboris firmitatem. Caeterum cum rerum experientia doceat, nobiles viros, *priores artium et vexilliferos* juſtitiae, populi et communis Florentiae, qui nunc ſunt, vel impoſterum in officio praeſidebunt, toto tempore, quo talis eorum duraverit magiſtratus, tam in civitate Florentiae, quam in civitatibus, provinciis et locis ſupra conceſſis, ac etiam proxime nominandis, *regios et imperiales vicarios noſtros*, *et imperii S. irrevocabiliter et generales conſtituimus*, facimus et ordinamus, cum adminiſtratione pleniſſima, committentes eisdem pleniſſime vices noſtras *toto tempore vitae noſtrae*, *nec non et in perpetuum*, *donec forent expreſſe per ſucceſſores* noſtros, legitime tamen intrantes, nominatim et *ſpecialiter revocati*, ſtatuentes et ordinantes, quod dicti priores, et vexilliferi, vicarii noſtri, vel aliqui alii rectores, et officiales ad regimen dictae civitatis, et locorum eidem tenore praeſentium conceſſorum, cogi non poſſint, aut debeant, alibi reddere de ſuae adminiſtrationis officio rationem, quam in civitate Florentiae, et coram judicibus, magiſtratu, vel ſyndicis per eundem populum, et commune deputatis ad hoc, vel impoſterum deputandis, et non alibi, vel per alios quoquo modo. In quorum omnium ſignum, firmitatem, et robur nobilem virum Bonacurſum, quondam Neri de Pictis, ſyndicum dicti populi et communis, ut publice conſtat manu Petri Serperi de St. Miniate Florent. notarii publici pro ipſo communi Florentiae recipiente, et ipſum populum et commune in perſona dicti Bonacurſi *per annuli traditionem*, *de praedictis omnibus inveſtimus*, auctoritate regia ſupra dicta et de plenitudine poteſtatis ex certa ſcientia, et proprio noſtro motu, et omni via, jure noſtro, et modo, quibus magis et me-

X lius

lius poſſumus et valemus, nomina vero dictarum civitatum, terrarum et provinciarum, et ipſarum deſignationes ſunt haec: videlicet civitas Aretii, cum omni ſuo ſolito et antiquo comitatu atque diſtrictu, civitas Piſtorii et civitas Vulterra etc. cum omnibus eorum ſolitis et antiquis comitatibus atque diſtrictibus, provincia vallis Nebulae, provincia vallis Arianae, provincia vallis Arni, inferiore, terra Barglie et ſumae Coloniae, cum pertinentiis ipſarum, terra S. Miniati Florent. cum omni antiquo ſuo comitatu atque diſtrictu, et ſpecialiter cum communi et caſtro Collis longae terrae, provinciae Florent. in partibus Romandiolae, et omnia, quae in dicta provincia Romandiolae, vel Maſſae Trebariae fuiſſent dicto communi Florentiae relicta vel conceſſa, ſeu in quibus eis eſſet jus aliquod conſtitutum aut quomodolibet pertineret, omnes terrae quae tenebantur, vel eſſent alieni juris, vel aliquorum de Waldinis . . . . aut aliquo vel aliquibus de progenieque de Petra mala. quae terrae forent in alpibus montibus, aut vallibus ſive planis provinciae Tuſciae, quarum omnium nomina habeantur pro expreſſis, et declaratis: terrae quoque collis Valliſelſe St. Cemniani, Martiani, Planiciei Aretii, Coretii, Caſtellionis Florentini, Montis politiani, Valiani, Sillani, Tapolis, Montamine, Anglaris, Fogani, et Fucignani addicitur Eucignano, Darezo et omnes terrae et loca, quae fuiſſent dicto populo vel communi relictae, ſubmiſſae, vel aliquomodo conceſſae, vel alteri pro ipſo populo vel communi recipienti, et ſeu dicto populo et communi tam in partibus Ciſentini, quam in provincia Romandiolae, Maſſaeque Trebariae, vel alibi in partibus circumſtantibus, vel quae ad ipſum populum et commune forent jure quopiam devolutae, et generaliter omnia alia et ſingula, quae per dictum populum ſeu commune tenentur ſeu poſſidentur, reguntur et gubernantur, et in quibus habent jus aliquod, cuſtodiam, jurisdictionem, vel praeeminentiam, quoquo modo mandantes atque jubentes eis et cuilibet ipſorum et ipſarum et hominibus, perſonis et incolis eorundem, et ipſarum praedictis *noſtris vicariis populoque et communi Florentiae tanquam nobis in omnibus pareant* et intendant ſub poenis et conditionibus ordinandis

dinandis ſeu ordinatis per ipſum populum et commune Florentiae, Nulli ergo hominum liceat hanc noſtrae donationis, conceſſionis, largitionis, ordinationis et gratiae paginam infringere, aut ei quovis auſu temerario contraire ſub poena indignationis noſtrae graviſſimae, quam qui ſecus attentare praeſumſerit, ſe cognoſcat illico incurſurum, et ſub poena mille marcarum auri puriſſimi, in quas illos qui quavis temeritate contra fecerint, ſive venerint, irremiſſibiliter incurrere decernimus et jubemus, et eandem ab eis totiens, quotiens contrafactum vel contraventum extiterit, exigi volumus et committi, et medietatem dictarum marcarum noſtri Regalis, ſeu Imperialis aerarii ſive fiſci, et partem reſiduam injuriam paſſorum uſibus applicari decernentes ex nunc de plenitudine Regiae atque Caeſareae poteſtatis irritum et inane, quodcunque in contrarium a quocunque fuerit attentatum, Praeſentes quoque litteras *noſtras ſive praeſens privilegium durare volumus toto tempore vitae noſtrae, et ad beneplacitum Imperii, et donec per ſucceſſores noſtros legitime intrantes expreſſe et ſpecialiter fuerit revocatum.* Decernimus quoque, committimus et mandamus, quod mox, ut fuerimus Imperiales infulas aſſecuti, Imperiales noſtrae fieri debeant confirmatoriae praedictorum. Et ex nunc intelligantur data et conceſſa praedicta, vel in minimo non mutata, etiam absque alia aliqua requiſitione, vel . . . nobis vel noſtro Cancellario facienda. Teſtes hujus rei ſunt venerabilis Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis, Imperii per Italiam Archi - Cancellarius. Illuſtres Ludovicus Comes Palatinus Rheni et Bavariae Dux. Carolus Dux Lotringiae. Nobiles Philippus Naſſau et Suraponte. Emilius de Leiningen, Regalis noſtrae curiae Magiſter. Gerhardus de Kirberg. Fridericus de Mörſe. Jo. Frid. de Leiningen, Comites ſpectabiles. Sigehardus de Winſperg. Eberhardus Pincerna de Erpaden Senior, Barones. Honorabiles Conradus de Hirtzhorn, St. Stephan. Moguntinenſis, Wilhelmus beatorum apoſtolorum Colonienſium eccleſiarum praepoſiti, Magiſter Nicolaus Perwin, ſac. paginae profeſſor. Strenui Wipertus de Helmſtat Senior, Johann. de Hirtzhorn, Johannes Camerarius de

X 2 Tal-

Digitized by Google

Talburg, Schilling de Fillig. Henricus de Dadenberg. Sifridus de Lapide, milites, nec non quam plures alii noſtri et Imperii nobiles et fideles, Harum ſub Regiae noſtrae Majeſtatis ſigilli appenſione teſtimonio literarum, datum Moguntiae die quarta menſis Julii Anno Domini MCCCC. primo, regni vero noſtri anno primo. Ego Rabanus Epiſcopus Spirenſis, regalis aulae Cancellarius, vice Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Joannis Archiepiſcopi Moguntini per Germaniam Archicancellarii recognovi.

D.

Extractus ex inſtrumento Pacis Bleſiis initae inter Maximilianum I. et Ludovicum XII. Regem Galliarum, die 22. Septembr. 1504.

QUod Maximilianus Rom. Rex, contra Sabaudiae et Ferrariae Duces, Montisferrati, et Mantuae Marchiones, Dominium Florentinum, communitates Senenſem, et Lucenſem etc. nihil faciet aut attentabit, niſi ſuperioritatem, honorem, et obedientiam, quam ipſi debent Suae Majeſtati, et Sacro Rom. Imperio, denegaverint. Item: Ad ſereniſſimi, et chriſtianiſſimi regis Francorum petitionem, et inſtantiam, ſereniſſimus Rom. rex vult indulgere et indulget, per praeſentes, duci Ferrariae, marchionibus Montis ferrati, et Mantuae, Florentinis, Lucenſibus, Senenſibus, et domino Alberto de Carpi, et Ioanni Petro de Gonzaga, omnia quae ab eo die et tempore, quo chriſtianiſſimus rex Carolus, noviſſime defunctus, primum ingreſſus eſt Italiam, usque in hunc diem, contra ſuam majeſtatem, tanquam Rom. regem, et ſacr. imperium commiſerunt, aut quovis modo committere potuerunt etc. et quod ipſi deinceps Rom. regi et ſacro imperio, ſicut ceteri ſubditi, obedientes, ſubditi et dediti eſſe debeant, et teneantur. Et ſi de caetero in his, quae Rom. regi, et ſacro imperio exhibere tenentur, rebelles et minus obedientes erunt, aut aliquod aliud contra eum committent, quod tunc unusquisque Rom. rex aut imperator eos, ſecundum viam, ordinem, aut legem imperii

punire

Digitized by Google

punire poſſit, et in iſto, neque in aliis quibuscunque principatibus, communitatibus, civitatibus, provinciis, dominiis, et jurisdictionibus totius Italiae etc. quae Romanorum regi, aut imperio quovis modo ſpectarent, nullus rex Franciae unquam Rom. regi, aut imperatori, neque imperio, aliquod impedimentum inferre, neque praefatis, aut aliquibus contrariis, aut rebellibus imperii, adjumentum directe neque indirecte dare, ſed de his omnibus penitus abſtinere velit et debeat.

E.

Diploma Rudolphi I. Regis Romanorum, quo Johannem de Aveſnis vicarium imperii per Thuſciam conſtituit ex Theſauro anecdotorum MARTENII T. I. p. 1192.

RUdolphus Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, univerſis archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, et aliarum eccleſiarum praelatis, principibus, nobilibus, comitibus, civitatibus, communitatibus, univerſitatibus, oppidis, caſtris et villis, et perſonis ſingularibus quibuscumque, in partibus Tuſciae conſtitutis, gratiam ſuam et omne bonum.

Commiſſiones ſeu procurationes quascumque honorabili viro Rudolpho electo Salzburgenſis eccleſiae, imperialis aulae cancellario, in bonis, poſſeſſionibus, reditibus, proventibus, civitatibus, caſtris, munitionibus, jurisdictionibus, nec non in aliis, in quibus mandatum requiritur ſpeciale, de terra Tuſciae per nos factis, in omnibus ſuis articulis expreſſius revocantes, ad notitiam veſtram cupimus pervenire: quod nos ſpectabilem virum JOHANNEM de AVESNIS comitem Haynnoniae fidelem et familiarem noſtrum dilectum conſtituimus, facimus et ordinamus, *noſtrum et Romani imperii in partibus Tuſciae vicarium generalem*, et inſuper procuratorem et nuntium noſtrum ad exigendum, petendum, et recipiendum noſtro, & ejusdem imperii nomine fidelitatis, homagii, et ſervitii nobis debiti ſacramenta, a quibuscumque perſonis, vel locis, nobis in eisdem partibus Tuſciae eadem debeantur, et ad petenda & recipienda bona, poſſeſ-

ſiones, reditus, proventus, civitates, caſtra, munitiones, jurisdictiones, et jura quocumque nomine cenſeantur in eisdem partibus Tuſciae pertinentia ad nos, et imperium ſupradictum, et ad ordinandum et diſponendum de ipſis quicquid ſibi videbitur expedire, et judices et officiales conſtituendum in negotiis et cauſis quibuscumque, ſicut nos ipſi eosdem conſtituere poſſemus, ſi praeſentes eſſemus, et ad ſtatuendum, tractandum, et faciendum in praedictis partibus Tuſciae, omnia et ſingula quae verus et legitimus vicarius, procurator et nuntius, plenum mandatum et liberam adminiſtrandi poteſtatem habens a nobis, facere poteſt, et debet, de conſuetudine vel de jure, in illis etiam caſibus, in quibus mandatum requiritur ſpeciale. Sententias etiam, bona, poenas, et multas, tam in cauſis criminalibus, quam pecuniariis, et aliis quibuscumque, quas idem, vel conſtituti ab eo judices, officiales vel executores tulerint, impoſuerint, vel exegerint, ratas habebimus, et faciemus, domino concedente, inviolabiliter obſervari. Damus praeterea praedicto comiti plenam et liberam poteſtatem et ſpeciale mandatum, rebelles et indevotos, ſi quos (quod avertat altiſſimus) in partibus Tuſciae repererit, qualiscumque conditionis extiterint, privandi feodis, caſtris, terris, gratiis, libertatibus, diſtrictibus, privilegiis, juribus, et jurisdictionibus quibuscumque, quos, quas, vel quae iidem tenere ab imperio dinoſcuntur. Nos quoque gratum, ratum, et acceptum habebimus, quicquid per dictum vicarium, procuratorem et nuntium noſtrum actum, et geſtum, ſtatutum, judicatum, et ordinatum fuerit in praemiſſis, et circa praemiſſa, vel quaelibet praemiſſorum.

In cujus rei teſtimonium, praeſentes literas fieri, et pendenti ſigillo noſtrae regiae majeſtatis, in evidens teſtimonium praecepimus communiri.

Datum Friburgi, Kal. Maji, indictione XII. anno Domini MCCLXXXIV. regni vero noſtri anno XI.

F. Ta-

Digitized by Google

F.

Tabulae, quibus Bonifacius VIII. Carolum Andegavenſem, nomine Imperii, paciarium in Thuſcia conſtituit: ex RAYNALDI continuat. Baronii ad an. 1301.

VEnerabili fratri Portuenſi Epiſcopo.

Cum nobilis provincia Tuſciae multis foret confoſſa doloribus, guerrarum concitata diſſidiis, civilibus bellis licentiae laxatis habenis, ac deformata ruinis, decuit nos ad animarum, corporum et rerum vitanda pericula, in ipſa proſequi vias pacificas, et ad unitatem reducere diſſentientes, ne ſe mutuo lacerarent, impeterent, ac moleſtarent injuſte; ut tam nobilis tantaque provincia in tabernaculis fiduciae requieſceret, et in pacis dulcedine habitaret; et per hoc in ea purgaretur haeretica pravitas, cohiberetur praedonum audacia, honoraretur ſancta Romana eccleſia, et fidelium devotio nutriretur. Ad nos namque relatio fide digna perduxerat, quod nonnulli de dicta provincia cum malitiae ſuae conſciis, atque conſortibus habentes de ipſius turbatione pruritum malignitatis ſuae, in favorem noſtrorum, et Apoſtolicae ſedis rebellium, ſuos illicitos conatus moliebantur extendere, ut non cuiquam ſua confirmaretur juſtitia, non cuiquam ſtatus ſuis debitus meritis ſervaretur. Vnde cum fratribus noſtris, habita deliberatione matura, ***attendentes quod Romanum vacat imperium***, cujus ad nos, praeſertim hoc tempore pacifica conſervatio dignoſcitur pertinere; dilectum filium, nobilem virum *Carolum*, natum clarae memoriae Philippi Regis Francorum, comitem Andegavenſem; de cujus ſtrenuitate, armorum experientia, et bonitate confidimus; ***conſervatorem pacis in ea parte ipſius Thuſciae, quae praedicto imperio ſubjacet***, de fratrum eorundem conſilio duximus deputandum. Qui provinciam ipſam potenter et prudenter ingreſſus, hujusmodi commiſſum ſibi paciariatus, ſeu conſervandae pacis officium, divina ſibi aſſiſtente virtute, coepit laudabiliter exer-

exercere: ita quod devoti et fideles eccleſiae ſaepe dictae, de ipſa provincia habere poterunt, dante domino, bonum ſtatum, eruntque Prava indirecta, et viae aſperae planabuntur. Verum, ut haec ſalubrius et efficacius impleantur cum quiete ac pace, te, de cujus legalitate, bonitate, circumſpectione, et experientia matura confidimus, ad partes easdem providimus deſtinare, in eadem provincia noſtra tibi auctoritate conceſſa; per cujus dictus comes favorem protectus, directus conſilio, et maturitate adjutus, commiſſum ſibi officium, juxta beneplacitum divinum et noſtrum, cum moderatione, ac menſura, tranquillius et utilius poſſit debitae executioni mandare.

Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus te celeriter accingens, et ad partes illas perſonaliter feſtinus accedas, et ad ea, quae comiti memorato commiſimus efficaciter promovenda, et laudabiliter conſummanda in provincia ſaepe dicta per te et alios, de quibus expedire videris, ipſum ſolerter inducas, et tam tu, quam ipſe veſtra ſtudia convertatis ad ſeminandum in ea ſemen charitatis et pacis: ut ſedatis guerrarum et diſſenſionum turbinibus, qui nimis invaluerunt ibidem, provincia ipſa tot impulſibus agitata, quaſi poſt noctis tenebras, floridum diei lumen adſpiciat; poſt glaciei frigus hyemis, aurea ſibi tempora, et ſerena ſuccedant, in quibus afflicti non ſolum temporalem laetitiam, ſed aeternam, auctore domino, conſequantur, contradictores et rebelles auctoritate noſtra per te, vel per alium, ſeu alios, per ſpirituales poenas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo etc. Datum Laterani VI. non. Decembris anno VII.

G.

Abſolutio Civitatis Florentiae, confirmatio privilegiorum, et familiae Mediceae pro ducibus Florentiae conſtitutio, ex Mſc.

CArolus quintus auguſtus, divina favente clementia Rom imperator, ac Germaniae, Hiſpaniarum, utriusque Siciliae, Hye-

Hyeruſalem, inſularum Balearium, fortunatarumque, et magni orbis Indiarum etc. rex, archidux Auſtriae, dux Burgundiae et Galliae Belgicae dominus etc. Ad perpetuam rei memoriam recognoſcimus, et notum facimus tenore praeſentium univerſis; Poſtquam ſumma Dei opt. max. benignitate et clementia, Romani imperii cura nobis commiſſa eſt, ſummum ſemper noſtrum ſtudium fuit, ne quid damni, aut incommodi, nobis imperantibus, reſpublica pateretur. Hinc relicta Hiſpania, ea potiſſimum ratione in Italiam venimus, ut ab his, quibus aſſidue vexabatur, malis, eam liberaremus, pacemque illi atque otium, pro bellis et ſeditionibus concederemus, noſtroque animo, ac voluntate illa perſpectis, cum depoſitis armis, ad noſtram, et Romani imperii devotionem, atque amicitiam facile advenerint, una tantum Florentia excepta, quae nonnullorum perditorum hominum conſiliis, atque artibus, praeterquam quod nobis abſentibus arma in nos, et Romanum imperium ceperat, regnum noſtrum Neapolitanum, et ſanctae Romanae eccleſiae, cujus nos advocati ſumus, ditionem, armis infeſtaverat, nobis quoque praeſentibus, animo noſtro non ſatis perſpecto, legionibus noſtris portas hoſtiliter occludere, urbem munire, ſeque intra moenia continere, *atque noſtram et Romani imperii auctoritatem contemnere praeſumſit*, ac nos, qui non ad perdendam, ſed ad ſervandam eam urbem veneramus, quique a priſtino noſtro de pacanda Italia inſtituto, non receſſeramus, tantum militibus noſtris imperavimus, ut tamdiu eam obſidione premerent, quousque facti poeniteret, *ad noſtramque, et Romani imperii devotionem veniret*. Cumque poſt longam obſidionem ſeſe nobis ea lege dederit, *ut nos ejus regimen, gubernium, et ſtatum, arbitrio noſtro diſponeremus, atque ordinaremus:* nos eam civitatem in deditionem acceptam, tametſi ex cauſis ſuper narratis, et quam multis aliis legitimis rationibus *omnibus privilegiis, quae a majoribus noſtris Romanis imperatoribus ac regibus et ſacro Romano imperio majores* ſui obtinuerunt, *de univerſoque ejus dominio, atque ſtatu, tanquam ad nos et Romanum imperium devoluto, arbitrio noſtro diſponere jure nobis licuiſſet.* Cupientes tamen, ut ipſa quoque civitas clementiam noſtram experiatur, favore

Digitized by Google

etiam atque intuitu beatiſſ. patris noſtri Clementis VII. pontificis maximi, qui tanquam ejusdem reipublicae ſalutis, quietis, et libertatis ſtudioſiſſimus, pro ea intercedere dignatus eſt, motu proprio, et ex certa noſtra ſcientia, firmo et deliberato animo, non per errorem, aut improvide, ſed ſano *principum, baronum, comitum, procerum, atque aliorum noſtrorum et Romani imperii fidelium dilectorum* ad hoc accedente conſilio, et de noſtra imperialis poteſtatis plenitudine, eidem reipublicae Florentiae, quidquid in his omnibus ſupra dictis, et alias quomodocunque contra nos, et Romanum imperium commiſit, tenore *praeſentium remittimus, eamque in noſtram et Romani imperii gratiam recipimus*, reponimus, reſtituimus, et reintegramus, ac ſi ea nunquam per ipſam commiſſa forent. Decernentes ac volentes, ut dicta civitas Florentina, ejusque cives, incolae, et ſubditi, hujus gratiae, et indulti noſtri vigore, ejusque beneficio, omnibus privilegiis, gratiis, exemptionibus, et libertatibus per totum Romanorum imperium, et ubique locorum, et terrarum utantur, fruantur, et gaudeant, quibus, antequam a devotione noſtra recederent, utebantur, fruebantur, et gaudebant, absque ullo impedimento vel contradictione. Praeterea cum ſummi pontificis tantum valeat apud nos authoritas, ut nihil illi negare velimus, ejus favore atque intuitu, utque Florentini ſuae ſanctitatis et noſtram benignitatem et gratiam magis ac magis agnoſcant et amplectantur, eisdem motu, ſcientia, animo, authoritate et poteſtate praedictis, *omnia et ſingula privilegia, jura, conceſſiones, exemptiones, libertates, gratias et indulta Reipublicae Florentinae* a majoribus noſtris Romanis Imperatoribus et regibus conceſſa, et conceſſas, quibus, antequam a noſtra et Romani Imperii fide ac devotione recederent, utebantur, in omnibus ſuis articulis, punctis et clauſulis, ac ſi his noſtris de verbo ad verbum eſſent inſerta, *confirmavimus, ratificavimus, approbavimus* ac tenore praeſentium confirmamus, ratificamus, approbamus, hisque univerſis robur et authoritatem noſtram impertimur, ipſamque rem publicam Florentinam cum Regimine a nobis inferius diſponendo, in noſtram et Romani Imperii gratiam, tuitionem, protectionem, et ſalvam guardiam ſuſcipimus et aſſumimus,

mimus, ſuſceptamque et aſſumptam eſſe dicimus, decernimus et declaramus. Cum autem ad perpetuam hujus reipublicae Florentinae *libertatem, pacem, quietem et tranquillitatem, atque in noſtra et Romani imperii devotione perpetuo* maneat, ſuperſit, tum ratione Imperialis noſtrae dignitatis et authoritatis, ad quam ſpectat rerum publicarum ſalutem et pacem curare, tum vigore conventionis inter ill. Ferdinandum Gonzagam pro nobis intervenientem, et ipſam rempubl. Florentinam, cum deditionem faceret, firmatae ejusdem reipubl. *regimen, gubernium, et ſtatum diſponamus et inſtituamus*, et pro ſolito inſtituto noſtro nihil aliud quam ejus et univerſae Italiae ſalutem, pacem, quietem, et libertatem quaeramus, animadvertentes rempublicam ipſam, veluti et alias complures, ejus eſſe naturae atque ingenii, ut ſub hujusmodi regimine et magiſtratu, in quo eſſet unus, cui ejus praecipua cura incumbat, longe melius ac felicius regatur et gubernetur, quam ubi res et populares magiſtratus defertur, quodque quamdiu ill. Mediceorum familia, quae diu ſuo merito in ea republ. floruit tanquam caput regiminis ſupremum illius curam habuit, tum vere et publ. et privatis opibus floruiſſe, multumque et rei et dignitatis illi acceſſiſſe; contra vero ubi aemulorum malitia atque invidia ab ea authoritate illa dejecta extitit, resque ad popularem factionem delata eſt, tunc omnia, quod noviſſima haec calamitas et illius dominii devaſtatio facile teſtantur, publica atque privata corruiſſe, et ad eam usque miſeriam redacta eſſe, ut niſi beatiſſimus Pontifex ac noſtra Clementia illi ſuccurriſſet, de ejus dominio ac libertate actum eſſet.

Cupientes ejusdem reipubl. ſaluti, libertati, quieti et tranquillitati optimi conſultum eſſe, atque univerſali Italiae pacem ſtabilire, *noſtramque et Romani Imperii dignitatem et authoritatem, ut tenemus, conſervare*, ne res iterum ad popularem factionem devenire, et propterea dominium atque libertas dictae reipubl. periclitari et opprimi valeat, eisdem motu, ſcientia, animo, conſilio, et auctoritate praedictis, tenore praeſentium, *ſtatuimus, decernimus, et declaramus, volumus et jubemus*, ut deinceps perpetuis futuris temporibus magiſtratus dictae reipubl.

 eisdem

Digitized by Google

eiſdem modis et formis *eligantur*, *diſponantur*, *et inſtituantur*, quibus ante ejectam ipſam Mediceorum illuſt. familiam eligebantur atque inſtituebantur, utque eadem ill. ipſa Mediceorum familia, et inprimis ill. *Alexander de Medicis* dux civitatis Pennae, cui nuper ill. Margaritham filiam noſtram naturalem deſpondimus, *quamdiu vixerit*, *atque eo e vivis ſublato*, *ejus filii*, *haeredes*, *et ſucceſſores ex ſuo corpore deſcendentes maſculi*, *ordine primogeniturae ſemper ſervato*, *et illis deficientibus*, *qui proximior maſculus ex ipſa Mediceorum familia erit*, et ſic ſucceſſive usque in infinitum, jure primogeniturae ſervato, ſit atque eſſe debeat dictae reipublicae Florentinae gubernii ſtatus, *atque regiminis caput*, et ſub ejus praecipua cura, et protectione ipſa civitas, et reſpublica, cum univerſo ejus ſtatu, et dominio regatur, manuteneatur, et conſervetur, et tam ipſe ill. Alexander quam ſui praedicti poſſint, et valeant, ac debeant in omnibus ſupradictis magiſtratibus, qui in praeſentia ſunt, et pro tempore modo, quo ſupra, aut aliis quomodocunque diſponentur, *intereſſe*, *hisque praeeſſe*, ac ſi is qui pro tempore juxta ordinem ut ſupra diſpoſitum, praeeſſe debebit, ad ſingulos ipſos magiſtratus publicis ſuffragiis tanquam caput electus et deſignatus foret. Decernentes, ac volentes, et hoc noſtro imperiali edicto, perpetuo valituro ſtatuentes, ut ſi quando dicta reſpubl. Florentina hoc regimen, modo quo ſupra a nobis inſtitutum, violare, aut invertere, aut ei quovis temerario auſu contraire audebit, tanquam nobis, ac Rom. imperio ingrata, rebellis, et inobediens, ſuaeque ſaluti, libertati, quieti, paci et tranquillitati contraria; ſupra ſcriptis noſtris, remiſſione, indulto, confirmatione, approbatione, ratificatione, et gratiis, aliisque omnibus, et ſingulis privilegiis, conceſſionibus, exemptionibus, libertatibus, et gratiis, eidem a praedeceſſoribus noſtris Rom. imperatoribus, et regibus, et ſacro Rom. imperio, quomodolibet, et ex quacunque cauſſa conceſſis, privata, atque univerſum ejus dominium ad nos, et ipſum Rom. imperium devolutum cenſeatur, quemadmodum eam nos ex nunc, prout et tunc, et econtra, privamus, eaque omnia et ſingula ſupra ſcripta revocamus, caſſamus, annullamus, et caſſa, nulla atque irrita, et univerſum dictae reipublicae dominium ad

nos,

Digitized by Google

nos, et Rom. Imp. ipſo facto devolutum eſſe volumus, decernimus, declaramus, et pronuntiamus, quibuscunque in contrarium facientibus non obſtantibus, etſi talia forent de quibus ſpecialis. expreſſa, ac de verbo ad verbum in his mentio fieri oporteret, quibus omnibus et ſingulis, eisdem motu, ſcientia, animo, authoritate et poteſtate praedictis derogamus, et derogatum eſſe volumus per praeſentes, ſupplentes omnes defectus, tam juris quam facti, et ſolennitatum omiſſiones, ſignis aut quae forſan in his interveniſſent, aut allegari quovis modo poſſent, quae omnia et ſingula, ut in favorem dictae Mediceorum illuſt. familiae interpretentur, volumus et jubemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtrae remiſſionis, indulti, confirmationis, approbationis, ratificationis, ſtatuti, decreti, voluntatis, declarationis, et inſtitutionis paginam infringere, aut ei quovis temerario auſu, directe, aut indirecte contraire; ſi quis autem id attentare praeſumpſerit, noſtram et imperii ſacri indignationem graviſſimam, et poenam centum marcharum auri puri, ſe noverit irremiſſibiliter, quoties contra fecerit incurſurum, quarum medietatem fiſco noſtro imperiali, reliquam vero partem, injuriam paſſi, aut paſſorum uſibus decernimus applicandam, harum teſtimonio literarum, manu noſtra ſubſcriptarum, et ſigilli noſtri Caeſ. appenſione munitarum. Datum in civitate noſtra imperiali Auguſta die XXVIII. menſis Octobris anno Domini MDXXX. Imperii noſtri XI. regnorumque noſtrorum omnium XV. Ad mandatum S. Caeſareae et Cathol. Majeſtatis.

H.

Inſtrumentum, quo continetur, quomodo orator Caeſareus ſtatum Florentinum, ad praeſcriptum praecedentis diplomatis ordinaverit. e Mſc.

In nomine individuae Trinitatis.

PEr hoc praeſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter, quemadmodum convocatis, ac perſonaliter conſtitutis in ſala magna inferiori, palatii magnificorum dominorum

Digitized by Google

Florentinorum excellent. dominis, dn. prioribus libertatis, et vexillifero juſtitiae, populi Florentini, una cum venerabilibus collegis, caeterisque magiſtratibus civitatis. Quorum nomina ſunt etc.

Hinc eſt quod in praeſentia, magnificorum dn. magiſtratuum praedictorum, nec non plurimorum aliorum civium Florentinorum, in praedicta ſala magna exiſtentium, ubi ad infra ſcripta audienda, et peragenda, januis apertis, et in maxima multitudine, veluti in actu publico convenerant, perſonaliter exiſtentes, et in medium aſſurgens magnificus vir, et U. J. D. praeclariſſimus Dn. Jo. Antonius Muſetola, de Neapoli, orator, nuntius, et commiſſarius a ſacratiſſimo domino, Dn. Carolo V. Rom. imper. ſemper auguſto ad infra ſcripta, et alia peragenda, ut dictum, ſpecialiter deputatus, et legitima facultate ſuffultus, cum ea qua decuit circumſpectione, non minus ornate, quam copioſe, in latino ſermone, ut melius ab omnibus intelligi poſſit, ita eloquutus dixit. Cum idem ſeren. Dn. imperator, ut rebus Italiae, diuturno bello non mediocriter afflictis occurreret, et pacem inter diſſidentes componeret, ad effectum ut rebus pacatis, arma Chriſtianorum in Turchas, Chriſtiani nominis hoſtes, felicius converti poſſent, ex Hiſpania in Italiam applicuiſſet, et cum Venetis, et aliis civitatibus et dominiis ab eo diſſidentibus capitula pacis, et concordiae, modum in pace vivendi concernentia iniiſſet:

Cum Illuſtri Florentinorum dominio, quod ſemper ipſe, et ſui praedeceſſores, Romani imperatores, peculiari quodam amore proſequuti fuerunt, qui tum ab eo diſcordabat, et contra eum arma ſumpſerat, et ab obedientia, et reverentia ſedis apoſtolicae diſceſſerat, et ſanctiſſimum dominum noſtrum, cum quo dudum foedus percuſſerat, et ejus illuſtriſſimam, familiam, de hac excelſa republica amantiſſimam, ſine cauſa expulerat, ſeu recedere coegerat, in eum ſtatum, a quo expulſus, una cum ejus familia illuſtriſſima erat, admittere et reſtituere negabat, per diverſa media, honeſtatis, et concordiae conditiones proponeret; ſed particularium civium pertinacia, qui tunc rempubl. potius arbitrio, quam ratione regebant, et ad privatum commodum magis, quam ad publicam utilitatem, non

non ſano conſilio ducti, reſpiciebant, id aſſequi non poſſet; ut improborum malitiam expugnaret, et injuſte oppreſſis ſubveniret, coactus fuit, licet contra ejus mentem, exercitum comparare, ac veſtrum territorium armis invadere, et obſidione civitatem veſtram cingere, armis infeſtare, ac fame premere, quo reſpicientes, et ſua errata cognoſcentes, more pii patris, qui filios errantes ſaepe corripit, et reductos paterna charitate avidius complectitur, benignius exciperet. Licuit eidem ſereniſſimo imperatori, ſi voluiſſet, civium veſtrorum pertinacia exigente, veſtram civitatem longa obſidione oppreſſam, fame ſupra modum laborantem, omnium humanarum fere rerum auxilio deſtitutam, facile ſuperare, diripere, et expugnare; ſed ſuae imperialis celſitudinis bonitate, ac ejusdem ſanctiſſimi domini noſtri interceſſionibus delinitus, potius divino auxilio, quam humano conſilio, ſui exercitus milites repreſſit, atque continuit, quosque tandem ad cor reverſi, vos erraſſe fatentes, ſaniori conſilio ducti, ad capitula pacis, et concordiae, cum ſua Caeſ. Majeſtate ac Sereniſſimo Domino noſtro deveniſtis, illaque obſervare, et adimplere promiſiſtis, et ad ea vos, et civitatem veſtram obligaſtis. Et quia et in dictis capitulis inter alia cautum fuit, quod idem ſereniſſimus Dn. imperator, intra certum tempus, *modum et formam, quibus civitas ipſa in poſterum regi, et gubernari deberet, declararet et ordinaret*, ideo his, et aliis rationibus, idem ſereniſſimus Dn. imperator ad civitatis veſtrae, ſuae curae commiſſae pacificum ac tranquillum ſtatum attendens, ſanctiſſimi domini noſtri contemplatione, et intuitu, qui ſuam hanc patriam, paterna charitate proſequitur, et illius ſtatus, ac honoris et gloriae incrementa ſummis deſiderat affectibus, pro indulgentia, et remiſſione a caeſarea majeſtate, eidem reipublicae Florentinae facienda, et ſaepius praeſtita, per Imperiale edictum, ſive decretum, ſigillo ejus aureo, ut videtis, munitum, de ſuae imperialis celſitudinis ſuprema autoritate, et poteſtate declaravit, ſtatuit, et ordinavit; illuſtriſſimam familiam de Medicis, et conſequenter Illuſtriſſimum Dn. Alexandrum Medicem, ducem civitatis Pennae, ex qua familia dux ipſe deſcendit, ipſius ſereniſſimi Dn. Imperatoris generum dilectiſ-

dilectiſſimum, ad gradum, ſtatum, honores, privilegia, immunitates, et jurisdictiones, in privilegio contentas, etiam uti ante eorum ultimum diſceſſum erant, recipiendos, et acceptandos, ac reſtitui, reintegrari, et plenarie reponi ac admitti debere, juxta tenorem ipſius privilegii et induiti.

Itemque idem Illuſtriſſimus Dn. Alexander dux, ſit, et eſſe debeat primus, caput, et praepoſitus in regimine dictae civitatis, et in quolibet officio, et magiſtratu ejusdem, ad illa regenda, et gubernanda, et alias, prout, et ſicut alias per legem municipalem dictae civitatis ſancitum et ordinatum fuit.

Item quum idem Sereniſſimus Dn. Imperator, *omnia et ſingula privilegia, indulta, gratias, et conceſſiones, per ſuos praedeceſſores, divos imperatores, Florentinae civitati, et ejus illuſtri dominio conceſſa et facta, ac conceſſas et factas, ex ſua mera liberalitate confirmavit, atque de novo conceſſit*, mandavit, juſſit et voluit, praemiſſa, ſic per eum declarata, et ordinata, inconcuſſa ſervari, et adimpleri, atque nulli liceat illa infringere, vel eis auſu temerario contravenire, ſub eorundem privilegiorum revocatione, et aliis poenis tunc expreſſis, ipſo facto incurrendis, prout latius hoc, et alia in publico documento, dicti edicti, ſive decreti, quod idem magnificus dominus orator in ſuis manibus tenebat, et eisdem magnificis dominis prioribus, et vexillifero juſtitiae, caeterisque magiſtratibus ibidem congregatis oſtendit, ac in manibus egregii viri domini Franciſci Campani, primi cancellariae dictae comitis tradidit, ac publice legi, ac intimari, illius formam fieri, et debitae exequutioni mandari petiit, latius contineri dixit.

Vide diploma Caeſareum praeced. lit. g.

Quibus ſic peractis, et dicto inſtrumento imperialis edicti, ſive decreti, per dominum Dn. Cancellarium publice lecto, et omnibus in eo contentis diligenter diſcuſſis, et conſideratis, praeſentes domini excellentiſſimi priores, et vexillifer juſtitiae, communicato inter ſe conſilio, matura deliberatione praecedente, de eorum voluntate. Dn. Benedictus Buondelmontes vexillifer juſtitiae, nec non ipſius reipublicae Florentinae nomine,

mine, in haec, vel ſimilia verba reſpondit: Primum omnipotenti Deo gratias egit, aſſerens civitatem, et populum Florentinum, qui ſemper caeſareae majeſtati magnopere tribuit, ejusque nomen ſyncera fide, devotione, affectu, et religionis veneratione, ſemper coluit et colere intendit, obſervatam rempublicam, civitatem et ejus cives e faucibus militum liberatos, pupillos, et viduas defenſas, libertatem denique reſtitutam: et demum, ob regiminis gubernii caput ejusdem, illuſtriſſimum Dominum Alexandrum Medicem, qui poſſit eorum infirmitatibus mederi datum, quicquid ingenio, labore, opibus, induſtria, et potentia praeſtare poſſit, eidem Caeſareae Majeſtati perpetuum debere: dictumque decretum, ordinationem, et declarationem et Caeſ. edictum, gratanter, nomine totius civitatis recipiendo, eundem illuſt. Dn. Alexandrum ibidem praeſentem, ac illuſt. Mediceorum familiam in particulari, ac univerſali, ad gradum, ſtatum, honores, et privilegia, immunitates et jurisdictiones, in privilegio contentas, et in quibus ante eorum ultimum diſceſſum erant, accepit, reſtituit, reintegravit et plenarie repoſuit: ipſumque illuſt. Dn. Alexandrum ducem, et ejusdem ſereniſſimi Dni. Imp. generum in primarium dictae civitatis, ejusdemque regiminis, et gubernii, ac omnium ac ſingulorum officiorum, et magiſtratuum dictae civitatis caput, praepoſitum, et directorem acceptavit, et illum nomine totius civitatis, et populi Florentini pro tali, et ut talem perpetuo tenere, habere, colere, et obſervare velle aſſeruit, et ita ab omnibus teneri et reputari mandavit, juxta continentiam, et tenorem dicti privilegii: promittens praefato illuſt. Dn. Alexandro praeſenti, pro ſe ipſo, ac ejus haeredibus, et ſucceſſoribus, et eidem magnifico Dn. Johanni Antonio Oratori praeſenti et pro dicta Caeſ. Maj. recipienti, prodicta omnia et ſingula, ac omnia in privilegio prodicto contenta, perpetuo attendere, et obſervare, et contra non facere, dicere, vel venire, per ſe vel per alias ſubmiſſas perſonas, ſub quovis quaeſito colore, et ſub poenis, et aliis cenſuris in dicto praeinſerto privilegio contentis, et ſub omni juris et facti renuntiatione, ad hoc neceſſaria pariter cautela: Et dicti Dni.

 vexil-

vexilliferi ſermone completo, magn. XVI. Gonfalonerii ſocietatum populi Florentini, ... eorum reſpective locis aſſurgentes, et coram praefatis dominis, magnifico domino oratore caeſareo et illuſtriſſimo duce Alexandro perſonaliter exiſtentibus, in unam, et eandem animi ſententiam convenientes praedicta omnia. et ſingula per dictum magnificum Dn. Benedictum de Buondelmontibus, vexilliferi, praefate dicta, expoſita, narrata et promiſſa, nomine dictorum reſpective laudaverunt, et approbaverunt, ac rata, et grata perpetuo habere, et tenere voluerunt, et velle dixerunt, et praedictum imperatorium edictum, ut praemittitur, publicatum, et praeinſertum, et omnia contenta in illo, nemine diſſentiente approbaverunt, et illud gratum, et ratum, et firmum, ſe perpetuo habituros, nomine dictorum reſpective magiſtratuum, et dictae reipublicae Florentinae promiſerunt et convenerunt: ac praedictum illuſtriſſimum ducem Alexandrum Medicem, ibidem praeſentem, et omnia ſuper et infra ſcripta pro ſe, et poſteris ſuis juxta formam, et diſpoſitionem, producti imperialis edicti recipientem, ut perpetuum caput primarium regiminis, et gubernii civitatis, et illius pacifici et quieti ſtatus, et propoſitum omnium et ſingulorum magiſtratuum ejusdem, in omnibus, et per omnia, juxta tenorem praeinſerti privilegii receperunt, admiſerunt et acceptaverunt, promittentes, et ſolemni ſtipulatione convenientes, tum praedicto magnifico Dn. oratori caeſareo quam domino illuſtriſſimo Dn. Alexandro de Medicis, et nobis notariis infra ſcriptis, ut profertur, et pro omnibus quorum intereſſe poterit, quomodolibet ſtipulantibus et acceptantibus, ſe perpetuo obſervaturos praedictum imperatorium edictum, et non venire contra illud quovis modo, ſub poenis, et aliis in praedicto Imp. edicto contentis, et non obſtantibus his, quae praedictus ſereniſſimus imperator in praedicto ſuo Caeſ. edicto voluit non obſtare, de et ſuper quibus omnibus, et ſingulis, tam praedictus illuſtriſ. Dn. Alexander Medices, nec non praedictus vexillifer, mandaverunt, et petierunt praeſens fieri documentum, et inſtrumentum unum, ſeu plura.

Acta

Acta et celebrata fuerunt omnia, et ſingula ſcripta, in praedicto palatio, praedictorum magnificorum Dn. Florentinorum, et in ſala magna inferiori dicti palatii, anno incarnationis dominicae 1531. Indictione V. et die 6. menſis Aprilis P.: ſereniſſimi in Chriſto patris et domini noſtri, Clementis divina providentia P. P. VII. anno VIII. et praeſente et aſſiſtente magna parte populi, nec non venerabilibus viris, domino Albizo . . . de Nobilibus, Clerico Floren.

Ego Johannes Juliani de Durazinis, imperiali, apoſtolicaque autoritate notarius, et ſcriba praedictorum excellentiſſimorum dominorum libertatis civitatis Florentinae, praemiſſis omnibus, et ſingulis, quae in praeſenti, et in novem aliis ſemper procedentibus cartis in hoc libello, ſimul lectis, et meo ſigno interlineatis deſcripta ſunt, dum ſic agebantur interfui, et agitari, ut ſcripſi, vidi et aſcultavi, in ſuperſcripto loco, et demum de mandato magnifici Dn. Vexilliferi juſtitiae, et excellentiſſimorum dominorum, requiſitus una cum infra ſcriptis aliis cancellariis palatii, in praemiſſorum fidem, et robur, et teſtimonium, me ſubſcripſi, et ſignum meum conſuetum appoſui.

I.

S. C. XLVIII virorum Florentiis, quo vigore privilegii imperialis, Coſmus declaratur reipublicae caput, in locum Alexandri ducis.

Die 9. menſis Januarii 1536. per conſ. octovirorum Florentiae.

IL Signr. Luoghotenente, et ſuoi Magſi. Conſiglieri, inſieme ragunati, con li magn. Capit. de conſiglio di XLVIII. inteſo la ſubita, et inopinata morte, del Quondam Illmo Sigr. duca Alexandro di Medici, et conſiderato per queſto la citta reſtar ſenza il capo, del ſuo governo, e pero volendo, quanto piu preſto ſi puo, provedere a quel inconveniente, acchioche la citta, è ſuo dominio per queſto ne patiſca; *è conſiderato lo indulto, è privileggio della Maeſta Ceſarea, altra volta conceſſo a ſua Exza, inſino l'anno 1530. di eſſer capo del governo della citta ſucceſſivo*, e doppo la vita ſua, conceſſo ſimil-

 mente

mente a piu alteri della Illma Famiglia de Medici, in detto indulto compreſi, e vedendo, che in tal governo, manchando il prefato Sigr. Duca ſenza figlioli legitimi, e non ci eſſendo inditio alcuno, che la Sigra Duchezza ſia reſtata gravida, doveva in ſuo luogho *ſuccedere ſecondo il tenore, di detto indulto, e privileggio*, Lorenzo di Pier Franceſco di Medici, come quello ch'e de piu proximi, et di maggior èta. Ma per haverſi luy tolto tal luogo, per eſſer intervenuto perſonalmente, alla morte del detto Illm. Sigr. Duca; pero i prefati magnif. Capit. del conſiglio di XLVIII. commedi ſopra, inſieme ragunati, per loro ſolenne partiti vinto ſecondo li ordini, et per ogni meglior modo, che ſepino e poterono, elegono e deputorono, in lougho del Quondam prefato Sigr. Duca, Aleſſando, il Illmo Sigr. Coſimo, figliolo del magnf. Signor Giovanni de Medici come piu proſſimo, per capo, et primario del governo della citta di Fiorenza, e ſuoi Dominii, dichiarando ch'el habbia la medeſima autorità, preeminentia, et podeſta conceſſa li *per detto indulto, e privileggio de la Maeſta Ceſarea*, in tutto et per tutto, con eſpreſſa riſervatione, che ſi quondam Signora Ducheſſa foſſe gravida, e parturiſſi figlio maſchio, che in tal caſo *habbia a ſeguitare l'ordine del indulto predetto di ſua Maeſta*, è ſimilmente quella encora, che per alteri proviſione fatte qui, della citta piu volte, al prefato Sigr. Duca Aleſſandro de Medici fù conceſſa, conquelle non di manco limitationi è dichiarationi, che per tutto il giorno di domani, che ſaranno a di Dieci del preſente meſe di genaro, ſaranno ordinati, è fatti, e vinte per partito, delli magnif. infra ſcritti otto capitanei, coiè, . . . Equali, il prefato conſiglio di 48. elegono, e deputorono, con autorita pieniſſima à fare, et ordinare le dette dichiarationi, e tutto quello che intorno accio pareſſi loro neceſſario, per ſalute della citta, e ſuo governo, baſtando l'approbatione colla meta delle fave nere.

K. Epi-

K.

Epiſtola Maximiliani II. Romanorum imperatoris, ad Coſinum Florentiae ducem, qua deductis imperii, in ſtatum Florentinum juribus, conceſſio tituli magni ducis, a pontifice facta, declaratur irrita. e Mſc.

ILluſtriſſime dux, affinis, et princeps chariſſime, cum nobis aliquoties per dilectionis tuae oratorem in curia noſtra reſidentem expoſitum fuerit, dilectionem tuam ſcire cupere, quid illam de praetenſa magni ducatus Hetruriae inauguratione facere velimus, nos, etſi accepto praeteritis menſibus ſanctiſſimi dn. pontificis reſponſo, ad factam longo ante tempore coram ſanctitate ſua, et reverendorum in Chriſto patrum S. R. E. cardinalium collegio inſinuationem proteſtationis noſtrae, contra ejusmodi inaugurationem praeteritis menſibus, in arce noſtra regia Praga ſolemni modo interpoſitae, ad ſanctitatem ſuam ea ſcripto referri curavimus, quae noſtra ac imperii ſacri neceſſitas, hoc loco expoſcere, viſa eſt, adeoque cum iſta, cum ſanctitate ſua, utpote a qua afferta illa inauguratio proficiſcitur, agere ſtatuerimus; nihilominus tamen ad praedicti dilectionis tuae oratoris inſtantiam praetermittere noluimus, quin dilectioni quoque tuae animi noſtri voluntatem benigne, ac eo candore, quo in hujusmodi, et quibuscunque aliis negotiis, verſari conſuevimus, aperiremus. In primis igitur dilectioni tuae illud in mentem vocandum occurrit, quod ſicut ſanctitati ejus nullo jure licuit tale quid de Hetruria ſtatuere, atque diſponere, ſic certe dilectionem tuam, tanquam noſtrum, et imperii ſacri vaſallum, longe minus decuit, oblatam dilectioni tuae novam illam dignitatem (ſi tamen dignitas dici debet, quae indigno modo ac nulliter fit) *inſciis nobis, utpote Romanorum imperatore, cui in Hetruriam ſuperioritatis jus competere, efficaciſſimis rationibus, et quidem magna ex parte veteribus, et recentibus inveſtituris probari poteſt, acceptare, ne dum quoad Florentiae ſtatum, noſtram illam ac ſacri imperii ſuperioritatem, jurisdictionem, et authoritatem non ſolum in dubium vocare, verum etiam inani quodam libertatis praetextu prorſus negare.*

Nam cum fieri nequeat, quin dilectio tua memor ſit, quo pacto, et quas ob cauſas, divus quondam imperator Carolus quintus etc. dominus, patruus, et ſocer noſter chariſſimus, auguſtae memoriae, poſtquam Florentiae civitatem, quae a majeſtatis ſuae, et ſacri imperii devotione deſciverat, longa obſidione cinctam ad deditionem adegiſſet, ac imperatoriae poteſtatis plenitudine, et inter alia eam quoque ab rationem, quo deinceps in majeſtatis ſuae, et ſacri imperii fide, et devotione, perpetuo maneat etc. quondam ducem Alexandrum, reipublicae illius Florentinae gubernio praefecerit: eadem civitate in gratiam recepta, ac in ſpecialem majeſtatis ſuae, et ſacri imperii protectionem, et ſalvaguardiam aſſumpta, nec non confirmatis illius privilegiis, juribus, et exemtionibus, quae a majeſtatis ſuae anteceſſoribus Romanorum imperatoribus, et regibus, ac ſacro Romano imperio, antequam a devotione iſta recederet, obtinuerat; ac denique eadem ſuperioritate ſibi, ac ſacro imperio ita reſervata, ut ſi forſan reſpublica, ei inſtitutae a majeſtate ſua regiminis formae contraveniret, tanquam a majeſtate ſua et ſacro imperio rebellis, ingrata, et inobediens, conceſſa ipſi remiſſione, indulto, confirmatione, et privilegiis etc. privata, atque univerſum ejus dominium ad ſacrum Romanum imperium devolutum cenſeri, et eſſe debeat, etc. quae quidem omnia ejusdem remiſſionis, inſtitutionis, et creationis literis, expreſſis verbis continentur. Cum dilectio autem tua, praefato duci Alexandro, eodem plene pacto ſucceſſerit, ſane dilectionem tuam, vel eorum omnium parum memorem fuiſſe credendum, *vel certe abſurdum eſt, id a dilectione tua negari, ſine quo nec praedeceſſoris ſui, ducis Alexandri erectio, nedum dilectionis tuae, vigore ejusdem inſtitutionis ad ſe delata ſucceſſio, valida eſſet, atque ſubſiſteret.*

Quae cum ſic ſe habeant, ac proinde nos dilectionis tuae nulliter factam in magnum Hetruriae ducem creationem, ac ſubſecutam paulo poſt coronationem, absque graviſſima noſtrae caeſareae, ac ſucceſſorum noſtrorum, ſacrique Romani imperii authoritatis, jurium, et praeeminentiae diminutione nulla omnino ratione ferre queamus, praedicto ſanctiſſimo domino

mino

mino pontifici hanc noſtram mentem, ſacrique adeo imperii neceſſitatem memorato ſcripto fuſius declaravimus: eundem obnixe rogantes atque monentes, ut hac in re talia convenientia, opportuna, et efficacia remedia providere velit, quo ſublato gravi iſto, ac intolerabili praejudicio, nobis ac ſacro imperio, *noſtra authoritas, praeeminentia, dignitas, et jurisdictio, ſalva, integra, et illaeſa maneat: retractando ſcilicet ea, quae ſic a ſanctitate ſua illegitimo modo inſtituta ſint.* Et quia dilectio tua ex iis omnibus ſatis intelligit, id, quod dilectionem tuam ſcire cupere ejusdem orator aliquoties nobis retulit, de dilectione tua ſic nobis plane pollicemur, dilectionem tuam ſe huic animi noſtri declarationi, ut quae ipſa aequitate nititur, accommodaturam, ac non ſolum ſanctitatis ſuae retractationi ſe facile ſubmiſſuram, verum etiam, ubi forte ſanctitas ſua in eo ſe difficiliorem exhibere velit, eidem ſanctitati ſuae, ut noſtris monitis locum faciat, ſuaſorem fore: vel ſaltem ipſam et dilectionem tuam novo illo praetenſi magni ducatus titulo, et nomine, quaeque praeterea eidem adhaerent, ſe ultro prorſus abdicaturam eſſe, quo ſic negotio iſto, in priſtinum ſtatum reſtituto, diverſarum diſſenſionum, ſcandalorum, et turbarum, quae hac ex re facile oriri poſſent, praeſcindatur occaſio, quod uti dilectionem tuam facturam eſſe omnino confidimus, ſic dilectioni tuae certo perſuaſum cupimus, nos in aliis omnibus, quae, citra noſtrae ac ſacri imperii, jurium, et authoritatis praejudicium, et diminutionem fieri poſſunt, dilectionis tuae, ac ejusdem filii illuſtr. Florentiae principis, ſororii et principis noſtri chariſſimi, dignitati et commodis promovendis, pro ſingulari et benevolentiae et propenſionis ſtudio, quo utramque complectimur, nusquam eſſe defuturos. Quod ſupereſt, dilectionem tuam diu recte, feliciterque valere, optamus. Datum in oppido noſtro imperiali, Dunckelspuhl. 26. Dec. 1570.

L. Di-

L.

Diploma Maximiliani II. quo magni Etruriae ducis titulum Franciſco Florentiarum duci contulit. e Mſc.

MAximilianus ſecundus etc. Ad perpetuam rei memoriam, recognoſcimus harum ſerie literarum, ac univerſis et ſingulis notum facimus, quemadmodum unicus ille parens rerum, ac mundi opifex, cum mortale hominum genus, caeleſti civitate donat, id ipſum non promiſcue quidem, neque citra delectum facit, ſed ut vel virtus, vel officia unicujusque expoſcunt, et merentur, in feliciſſimas quemque divorum claſſes, et ordines digerit, atque collocat, alterumque alteri praefert; ſic noſtrarum quoque partium eſſe plane cognoſcimus, terreſtre hoc nobis concreditum imperium ad caeleſte illud quam ſimillime referre, noſtraque et ſacri Romani imperii beneficia, inſignia et honores, pro unius cujusque dignitate, et meritis, diſtribuere, ac impertiri. Quo ſane diligenter reſpexerunt divi olim praedeceſſores noſtri, Romanorum imperatores, et reges, omni cura adhibita, ne ſuum a bene meritis officium deſiderari paterentur, quod intelligerent illud ad ſuſtinendam, amplificandamque gloriam, et exiſtimationem ſuam maxime pertinere. Hinc eſt quod praeclariſſimo more ab iisdem divis imperatoribus, majoribus noſtris accepto, nihil antiquius, nihil charius unquam habuerimus, quam principes, de caeſarea majeſtate noſtra, ſacro imperio, inclytaque domo noſtra Auſtriaca, ac tota denique republica chriſtiana optime meritos, maximorum honorum praemiis proſequi, et ornare, ut intelligant virtutes, egregia facta, excellentiaque merita nobis eſſe chariſſima, ac tum ipſi, eorumque deſcendentes et poſteri, ad virtutem, ac de nobis, ſacro imperio, inclytaque domo noſtra Auſtriaca, bene merendum magis etiam excitentur, tum alii etiam ad eadem ſtudia ſectanda, alliciantur et inflammentur. Ejus vero benignae ac piae mentis noſtrae declarandae, amplam et idoneam nacti ſumus occaſionem, in exornando illuſt. Franciſco Medices, reipubl. Florentiae, et Senarum duce tertio. Quem quidem, tum pro-

propter animi ſui egregias excellentiſſimasque virtutes, generisque ac familiae Medicae, ex qua in utraque repub. tam Eccleſiaſtica quam politica, multi inſignes, praeſtantiſſimique heroes prodiere, nobilitatem, tum *luculenta et utilia obſequia, tam nobis quam anteceſſoribus noſtris, Romanorum imperatoribus, et regibus*, ac praememoratae inclytae domui noſtrae Auſtriacae hactenus praeſtita, nec non maxima in univerſam rempublicam chriſtianam merita, plurimi ſemper fecimus, ac ſingulari benevolentiae affectione proſecuti ſumus, adeo quod in ſingularis, ac vere ſinceri amoris, clementiae, et benignitatis noſtrae teſtimonium, affinitatem ſecum inivimus, et utramque familiam eo vinculi genere, quod idem eſt omnium arctiſſimum atque ſanctiſſimum, aſtrinximus, ipſumque in ſororium noſtrum cooptavimus. Cum igitur eundem ducem Franciſcum, cujus in nos ſacrumque romanum imperium, praeclarae, propenſaeque voluntatis ſtudium, nec non in adminiſtranda, moderandaque juſtitia, ac ſubditis ſuis recte, feliciterque regendis ſingularis religio, virtus atque prudentia, nobis jam diu perſpecta, cognitaque eſt, dignum omnino cenſeamus, quem una cum ſucceſſoribus ſuis, illuſtriori quodam dignitatis et honoris loco collocemus, ſicque inſigne aliquod noſtrae in dilectionem ſuam propenſiſſimae voluntatis documentum poſteris relinquamus, atque inſuper, praeter memorata, ipſius ducis Franciſci obſequia, virtutes, atque merita, generis item nobilitatem, atque ſplendorem, ac arctiſſimae affinitatis neceſſitudinem animo clementiſſimo repetamus, quae nobiſcum ab aliquot annis per illuſt. Coſmum Medicem, (cujus etiam in divos quondam imperatores, Carolum quintum, et Ferdinandum, dominos, patruum, ſocerum et genitorem noſtros chariſſimos, auguſtiſſimae memoriae, ac nos ipſos, inſignium meritorum grata apud nos extat memoria, eoque poſtea defuncto, per ipſum filium et ſucceſſorem ſuum praefatum Franciſcum Medicem duces, de magno Hetruriae ducatu acta ſunt, *omnibusque tum ſacri Romani imperii principibus electoribus in maturam deliberationem deductis*, tam ſupra memoratis, quam aliis juſtis, et rationabilibus cauſis impulſi, motu proprio ex certa ſcientia noſtra, animo

A 2 bene

Digitized by Google

bene deliberato ac ſano, *noſtrorum, et ſacri imperii fidelium accedente conſilio ea, qua fungimur caeſarea authoritate*, ac de noſtrae imperialis poteſtatis plenitudine, in nomine domini ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, a quo omnis principatus, et honor promanat, eundem illuſt. Franciſcum Medicem ducem, ejusque deſcendentes in infinitum, *maſculos, legitimos et naturales*, ac illis deficientibus, vel non extantibus, *proximiores maſculos ex Medicea familia*, in perpetuum, ut ſupra, omnes tamen ſucceſſuros ordine *ac jure primogenii, in magnos duces Hetruriae, eorum locorum, quae ibidem ipſe dux Franciſcus poſſidet, ſeu ad eum pertinent*, et ipſam provinciam reſpective, ad propriam dignitatem, nomen et titulum magni ducatus *re ipſa, et cum effectu eveximus*, exaltavimus, ſublimavimus, et amplificavimus: ipſumque ducem Franciſcum, ac dictos ſucceſſores ſuos, ejusdem provinciae Hetruriae, magnos duces vere creavimus, fecimus, conſtituimus, extulimus, et declaravimus, aliorumque, cujusvis provinciae magnorum ducum numero, caetui, et conſortio realiter aggregavimus, in eorumque ordinem, ac gradum pleno jure cooptavimus. Atque inſuper omnia, et ſingula privilegia, jura, indulta, dignitates, libertates, honores, immunitates, titulos, gradus, honorantias, facultates, authoritates, praeeminentias, ac omnes et quascunque gratias, quibus alii, vere et proprie provinciarum magni duces, et principes, quavis dignitate praefulgentes, ac quacunque poteſtate fungentes, de jure vel conſuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ſeu uti, frui, potiri, et gaudere poſſunt, et debent, et in futurum quomodolibet poterunt, vel ſoliti fuerint, illis perfecte tribuimus, dedimus, tradidimus, atque conceſſimus, prout per praeſentes eadem ſcientia et authoritate erigimus, exaltamus, ſublimamus, amplificamus, creamus, facimus, aggregamus, cooptamus, damus, concedimus, tradimus, et cum effectu ampliſſime tribuimus, decernentes, *et hoc noſtro Caeſ. edicto firmiſſime ſtatuentes, ut poſthac perpetuis futuris temporibus* dicta provincia Hetruriæ, una cum ſuis civitatibus, terris, caſtris, oppidis, arcibus, fortalitiis, villis, locis, et juribus, ac univerſis, et ſingulis pertinentiis ab eodem illuſtriſſimo duce

duceFranciſco'poſſeſſis,ſeu ad eum quomodolibet pertinentibus pro vero magno ducatu habeatur, teneatur, reputetur, tractetur, et ſic idemque magnus dux Franciſcus, ejusque praefati deſcendentes, et poſteri, in magno iſto ducatu ſucceſſuri, ordine et modo qui dictus eſt, ab hac hora in perpetuum ſint, inſcribantur, dicantur, appellentur et nominentur, magni duces Hetruriae, ac ut alii cujuscunque provinciae magni duces honorentur, tractentur, et reputentur, ab omnibus et ſingulis, cujuscunque gradus, ſtatus, ordinis, conditionis, et dignitatis extiterint, tam in ſcriptis, quam viva voce, aut alias quotiescunque, et quomodolibet illorum mentio erit facienda, aut eorum ratio habenda fuerit, omnibus et ſingulis praenarratis privilegiis, titulis, honoribus, libertatibus, gratiis, et effectibus tam de jure, quam ex conſuetudine, in genere, vel in ſpecie ipſis magnis ducibus competentibus in ſeſſionibus, celebritatibus, pompis, ceremoniis, et actibus, publicis vel privatis, in quibuscunque locis ubique terrarum, etiamſi aliqui alii magni duces, ſimilesque principes, ut ſupra praeſentes fuerint, uti, frui et gaudere poſſint et debeant, non quidem ad illorum inſtar, et ſimilitudinem, ſed pariformiter, vere, proprie, et absque ulla prorſus differentia, non obſtantibus quibuscunque conſtitutionibus, legibus, ordinationibus imperialibus, ac provinciarum, civitatum, et locorum quorumlibet ſtatutis, et conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione imperiali, vel quavis firmitate alia roboratis: privilegiis quoque, indultis, et diplomatibus imperialibus, quibusvis perſonis, etiam ducibus, quibus forſan imperiali aut quavis alia authoritate conceſſum ſit, quod privilegiis, favoribus, praeeminentiis et gratiis, ad inſtar magnorum ducum, perinde ac ſi ipſi magni duces realiter, et cum effectu eſſent, uti et gaudere poſſint in genere vel in ſpecie, ſub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, et quantumcunque efficaciſſimis clauſulis, et decretis, quomodolibet conceſſis, confirmatis, vel innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque tenoribus ſpecialis, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum mentio ſeu quaevis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, eorum omnium tenores praeſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, (illis alias in ſuo robore permanſuris) hac vice duntaxat, ad effectum praeſentium, ſpeciali-

ter et expreſſe derogamus, totaliterque et latiſſime derogatum eſſe volumus, et decernimus: caeteris contrariis quibuscunque non obſtantibus, ſupplentes ex eadem poteſtatis plenitudine, et certa ſcientia, omnes, et ſingulos defectus, tam juris, quam facti, ſi qui forſan in praemiſſis comperti fuerint;

Volumus tamen, quod haec conceſſio minime debeat praejudicare, juribus cujuscunque praetendentis dominium, ſuper dictis locis, *et ut porro ſalva ſit ſuperioritas noſtra, ſacri imperii, ac cujuslibet alterius,* utque omnia et ſingula interpretentur in favorem dictae familiae Medicae. Nulli ergo hominum liceat hanc noſtrae erectionis, exaltationis, ſublimationis, amplificationis, creationis, diſpoſitionis, declarationis, conceſſionis, decreti, voluntatis, derogationis, ſuppletionis, et gratiae paginam infringere, vel ei, quovis auſu temerario, contraire: ſiquis autem id attentare praeſumſerit, praeter noſtram et imperii ſacri indignationem graviſſimam, poenam mille marcharum auri puri, pro dimidia fiſco, ſeu aerario noſtro imperiali, reliqua vero parte injuriam paſſis, irremiſſibiliter applicandam, ſe noverit ipſo facto incurriſſe, harum teſtimonio literarum, manu noſtra ſubſcriptarum, et bullae noſtrae aureae appenſione munitarum.

Datum in civitate noſtra Viennae, die vigeſima ſexta Januarii, anno domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, regnorum noſtrorum Romani decimo quarto, Hungarici decimo tertio, Bohemici vigeſimo ſeptimo.

M.

Declaratio collegii electoralis an. 1582. facta, pro tribuendo duci Sabaudiae digniore loco, ante magnum ducem Etruriae. Ex Archivis Taurinenſibus edidit Sam. Guichenon *hiſtoire genealogique de la royale maiſon de Savoye* T. II. p. 557.

Romanae Caeſareae Majeſtati, domino ſuo clementiſſimo, principes electores, qui praeſentes ſunt, atque aliorum conſiliarii legati, exhibent humillime exemplum hujus ſupplicationis, quam

quam oratores *principis Sabaudiae* ad haec comitia ablegati, dictis electoribus et conſiliariis ſupplicando tradiderunt, juxtaque eandem petiverunt. Itaque ſuam caeſaream majeſtatem celare non poſſunt, quod in conſultatione hujus ſupplicationis in memoriam revocarunt: cum Caeſar Maximilianus ſecundus, piae memoriae, *communi conſenſu ſacri imperii principum electorum* domino Coſmo, petitum nomen et titulum magni ducis Florentiae clementer concederet et daret, in ea conceſſione expreſſe reſervatum, et cautum eſſe, quod ſcilicet talis conceſſio ſacri imperii principibus electoribus, et aliis principibus, ſine detrimento erit: cum ergo de eo nullum exiſtat dubium, ſicuti dictis electoribus, et conſiliariis notum eſt, deque eo ſe declarant: Quod dux Sabaudiae ſit princeps ſacri imperii ex ſanguine germano ducum Saxoniae oriundus, quodque ſit vicarius imperii per Italiam, ideo ſentiunt juſtum et aequum eſſe, quod idem dux, etiam in dicta caeſarea reſervatione ſit comprehenſus, atque ideo praecedentia ante magnum ducem Florentiae in caeſarea capella, et omnibus aliis locis, eidem duci Sabaudiae competat, et ad eam admitti debeat; Quapropter ipſi praeſentes principes electores, et aliorum conſiliarii, caeſaream majeſtatem humillime rogant, *ut dicto duci Sabaudiae, tanquam ſacri imperii principi, praecedentiam, vigore praefatae reſervationis, ante magnum ducem Florentiae in ſua caeſarea capella clementiſſime permittat*, ſicuti quoque ille, tanquam a Germano principum ſanguine natus princeps, et vicarius ſacri imperii per Italiam, praecedentiam ante omnes Italiae principes in caeſareae majeſtatis aula, et capella, perinde in Italia, atque in Germania ſemper habuit, et adhuc, vigore dictae reſervationis, habere, et retinere debet. Concluſum in ſenatu electorum XXIII. Auguſti anno octuageſimo ſecundo.

M. Petrus Kraych conſiliarius et ſecretarius Mogunti: in fidem ſubſcripſi.

* * *

Digitized by Google

MEMOIRE
SUR
LA LIBERTÉ
DE
L'ETAT
DE
FLORENCE.

M DCC XXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

MEMOIRE
SUR LA PLEINE LIBERTÉ ET INDEPENDANCE DE
L'ETAT DE FLORENCE

ON ne peut douter, que l' unique fondement, ſur lequel eſt appuïé le projet de faire de toute la Toſcane un Fief de l' Empire en la perſonne du Prince, qui devra ſucceder à la Famille regnante, ne ſoit cette ſuppoſition erronée, à laquelle les Puiſſances alliées ſe ſont laiſſé ſurprendre, que l'Empereur & l'Empire peuvent avoir quelque droit ſur tout cet Etat, comme on le déduit de l'énoncé de l'article V. des conditions de la paix entre ſa Majeſté Imperiale & ſa Majeſté Catholique, inſerées dans le Traité de la Quadruple-alliance.

On a déja proteſté de la part du Grand-Duc dans toutes les Cours intereſſées, contre les diſpoſitions & les expreſſions de cet article, qui peuvent préjudicier, en quelque ſorte que ce ſoit, à l'entiere & abſoluë independance 2
de ſon Alteſſe Royale & de ſon Etat.

5 Preſentement, on ſe croit indiſpenſablement obligé de metre en évidence la fauſſeté de cette ſuppoſition, afin

que les puiſſances contractantes albandonnent un deſſein ſi contraire à la juſtice & à toutes les loix; perſuadé qu'Elles n'y ſeroient jamais entrées, ſi Elles ne s'étoient livrées trop promptement à des préjugez, dont le Grand-Duc auroit pû les déſabuſer ſur le champ, ſi Elles l'avoient conſulté, comme l'équité paroiſſoit le demander, & comme on avoit lieu d'attendre.

La Cour de Toſcane n'ignore pas, quels effets produit une legitime poſſeſſion de pluſieurs ſiecles en faveur du poſſeſſeur, ſur tout en matiere d'Etat; & elle ſçait, que le principal de ces effets, & le plus grand avantage de la poſſeſſion conſiſte à exemter le poſſeſſeur de juſtifier ſon droit, & en même tems à mettre celui, qui voudroit le conteſter, dans la neceſſité de produire des raiſons & des preuves de fait, qui pourroient le rendre douteux.

Mais le Grand-Duc eſt ſi aſſûré de ſes droits, qu'il ne croit rien haſarder à paſſer par-deſſus les formalitez ordinaires, & à traiter avec toute la bonne foi poſſible. Cette maniere d'agir a toûjours été propre è ſon Alteſſe Royale, & elle paroit être la plus convenable à la nature de l'affaire preſente, à la circonſtance du tems, & à la dignité des Puiſſances, qu'on a principalement en vûë d'inſtruire.

Il est neceſſaire de ſçavoir, que la Republique de Florence a joüi dès ſon origine d'une entiere indépendance de l'Empire, & qu'elle s'eſt toujours gouvernée par ſes propres loix & par ſes Magiſtrats appellez d'abord *Conſuls*, puis *Anciens*, & enfin *Prieurs*, qui tenoient toute leur autorité du peuple, qui les avoit élus, ſans être confirmez par aucune autre Puiſſance.

3 Cette Republique n'a pas été moins expoſée aux entrepriſes des Empereurs, que toutes les autres, qui ont été forcées de ſe ſoumettre à eux, ou de ſe mettre ſous

la

la dépendance d'autres Princes : (a) mais ou la valeur & la prudence de ſes citoyens, ou ſon bonheur la délivrerent toûjours de l'eſclavage, dont elle étoit menacée. Elle ſçut courageuſement repouſſer par la force des armes, des Vicaires de l'Empire, & éloigner adroitement des Empereurs, qui vouloient opprimer ſa liberté ; & elle l'aſſura ſi bien, que lors même que les guerres civiles demanderent une reforme dans l'Etat, on eut recours au ſaint Siege pour retablir la paix entre les habitans, & pour leur donner de noveaux Reglemens, ſans que l'Empire y prît aucune part.

Les faits, qui prouvent la verité de ce qu'on dit ici, ſont ſi connus dans l'Hiſtoire, qu'il paroît inutile d'entrer dans aucun détail. Ceux qui en ſont moins inſtruits, peuvent recourir aux ſources qu'on indique ; ils n'y verront rien qui n'établiſſe nettement ce qu'on aſſûre. La même verité eſt reconnuë par divers Juriſconſultes, qui ayant rendu compte ſimplement & ſans interêt d'une choſe, dont ils étoient témoins, ne peuvent être ſuſpects. On ne croit pas qu'on ſe défende de croire Paul de Caſtro (a) lorsqu'il parle de cette liberté comme d'une choſe connuë de ſon

 tems

(a) Ricordano Malespini, *anc. hiſt. de Flor. c.* 68. 79 *&* 213. Villani, *Iſtor. lib.* 7. *c.* 82. Naucler. *tom* 2. *Chron. generat.* 43. Biond. *Decad.* 7. S. Antonin, *Hiſt. Part.* 3. *tit.* 20. *c.* 4. §. 4. *c.* 6. §. 1. *c.* 7. §. 2. M. Borchini, dans ſon Traité: *Se Firenze ricomprò la libertà da Ridolfo.*

(b) Paul de Castro, Conſ. 118. col. 2. lib. 5 *Populus Florentinus, qui non recognoſcit ſuperiorem, Principis locum obtinet.* Le même, Conſ. 171. lib. 1. n. 1. *Sic etiam Florentini ſi nollent ſervare leges imperiales, poſſent hoc de facto facere, ſicut de facto non obediunt.* Et plus bas : *Nam Galli & Florentini non obediunt Imperio, &c.*

polla, qui aſſure que *les villes, qui ne reconnoiſſent point de Superieur, comme Veniſe & Florence, peuvent ſe faire la guerre l'une à l'autre pour reprendre ce, qui leur a été enlevé, parce qu'elles n'ont point de Juges entr'elles.* Felin Sandée, qui reconnoît que *Florence peut dans ſon territoire, tout ce, que l'Empereur peut dans ſon Empire.* Et enfin Philippe Decius, qui déclare, que *l'Empereur n'exerce aucune juriſdiction à Florence, ni dans le territoire des Florentins, & qu'il n'y a de juriſdiction ni contentieuſe, ni volontaire ; de ſorte qu'on n'y doit pas avoir égard à la legitimation d'un bâtard, faite par l'Empereur.* Rien ſans doute n'eſt plus précis, que le témoignage de ces Auteurs, & rien auſſi n'eſt moins ſujet à conteſtation. Tous les Juriſconſultes, qui ont vêcu avant l'établiſſement de la Principauté, ont parlé de même, & ils ne l'ont fait, que parce que perſonne ne doutoit d'une liberté, qui dans le cours de 5
pluſieurs ſiécles n'avoit reçû aucune atteinte. On peut voir, ſi l'on veut, leurs citations à la ſuite de ce Memoire, n°. 1.

Les Miniſtres de la Cour de Vienne doivent être convaincus plus que qui que ce ſoit de cette ancienne liberté de Florence ; puiſqu'ils n'ont pas encore oublié, combien de recherches on a fait dés le temps du Chancelier Sailern, & principalement vers les années 1708, & 1715. dans les Archives & les Chanceleries de Vienne, de l'Empire, du Duché de Milan, & par tout ailleurs où l'on a cru pouvoir déterrer quelques monumens capables, au moins de faire naître des doutes là-deſſus ; & qu'ils ſavent, que toutes les diligences, qu'on fit, ſe trouverent inutiles.

La poſſeſſion d'une ſi précieuſe prérogative donnée de Dieu à la Republique de Florence, bien loin d'avoir été leſée par l'etabliſſement de la Principauté dans la Famille regnante, a été affermie plus que jamais dans ce tems là même.

Quelques Auteurs, qui ſont des moins eſtimez dans leur propre païs, joignant à l'ignorance des circonſtan-

cés

ces de cet établiſſement, un entêtement que rien ne peut excuſer à établier par toute ſorte de voïes des maximes agreables à l' Empire, ont fait grand bruit de la part qu'y prit Charles V, comme s'il n'avoit interpoſé ſa mediation qu'en vertu d'un devoir attaché à ſa dignité de veiller à la paix de toute l' Europe. Mais il ſuffit de lire les Actes, & les meilleurs Hiſtoriens de ce tems là, (a) pour ſe convaincre, que cet Empereur ne parut, comme en effet il ne pouvoit paroître dans l'établiſſement de la Principauté, & dans la nouvelle forme de Gouvernement donné à la Republique, premierement, que comme *Allié* du Pape; puis comme *Mediateur* entre la Maiſon de Medicis, & la Republique; & enfin comme *Arbitre* choiſi par les mêmes parties.

6 Il parut comme Allié de Clement VII. lorſqu'en conſequence du Traité conclu avec luy à Barcelone, (b) où il s'engagea à l' aider à rétablir la Maiſon de Medicis à Florence, & à lui faire rendre l' autorité, qu'elle avoit perduë dans les troubles de la Republique, il envoya des troupes auxiliaires au Pape pour faire le ſiége de Florence.

La preuve, qu'il n'eut alors que cette qualité, eſt l'article même du Traité, qui concerne le rétabliſſement de la Maiſon de Medicis: car l' Empereur, bien loin d'y parler de l' Etat de Florence, comme d'un Etat, qu'il eût deſſein de ſoûmettre à l'Empire, ne s'engage qu'à prêter ſes troupes au Pape pour forcer les Florentins de recevoir

(a) GUICHARDIN *liv.* 19. 20. ADRIANI *liv.* 1. & 2. PLATINA *in Vita Clem. V II.* PAUL PARUTA, *l.* 6. NARDI *Iſtor. Fiorent. l.* 8. *Du* BELLAY, *de Reb. Gall. l.* 3.

(b) *Le* 29. *Juin* 1529.

voir la Maiſon de Medicis, & de lui rendre l'autorité, qu'elle avoit perduë.

On produit cet article après le Memoire n. 2. & il eſt d'autant plus neceſſarie de le faire, qu'aucun Allemand n'en aïant fait mention, il ſemble qu'ils aïent tous affecté de ne le pas connoitre. Rien en effet n'étoit plus contraire à leurs intentions. L'Empereur ne ſe déclarant ennemi des Florentins, pour ainſi dire, qu'en ſecond, s'étoit par-là même privé du droit d'acquerir quelque ſuperiorité ſur Florence; puiſque les troupes auxiliaires ne font point de conquêtes pour leur Prince, mais pour celui au nom de qui ſe fait l' entrepriſe. D'ailleurs l'engagement, qu'il y prenoit de *rétablir entierement la Maiſon de Medicis*, ne lui laiſſoit plus le pouvoir de retenir, en leur rendant leur premiere autorité, une Juriſdiction dont ils avoient été exempts jusqu'alors. Enfin le Traité attribuant au Pape ſeul la faculté de diſpoſer du Gouvernement de Florence, il eſt clair, que Charles V. ne pouvoit toucher au point le plus important, c'eſt à dire à l'indépendance de l'Etat.

Le même Empereur parut comme Mediateur, lors 7
qu'après un long ſiége, les articles préliminares du Traité de Paix furent reglez avec l'intervention de Dom Fernand de Gonzague, Géneral des Armées Imperiales entre les Commiſſaires de la Republique de Florence, & Barthelemy Vallori, Commiſſaire Géneral du Pape, & ſon Procureur ſpecial pour traiter de la reconciliation de la Maiſon de Medicis avec les Florentins, en ſe conformant au Traité de Barcelone, ainſi que le Pape le dit expreſſement dans ſes Pleins-pouvoirs.(a) On voit clairement

(a) *Ad noſtro* (du Pape) *ac nepotum noſtrorum, totiusque no-*

rement cette qualité de Mediateur dans la diſpoſition du premier des articles préliminaires, par lequel il fut ſtatué, que pour établir une bonne paix, & regler le Gouvernement, on donneroit à l'Empereur le pouvoir d'y donner une forme convenable dans l'eſpace de quatre mois, avec cette condition expreſſe, que la liberté de la Republique n'en ſeroit nullement leſée. *Inprimis, che la forma del Governo abbia da ordinarſi e ſtabilirſi dalla Maeſtà Ceſarea, fra quattro meſi proſſimi avvenire, intendendoſi ſempre, che ſia conſervata la libertà.* Car cette condition, qui en limitant le pouvoir de l'Empereur, montroit qu'il n'étoit pas attaché à ſa dignité Imperiale, ne laiſſe voir en lui dans cette occaſion d'autre qualité, que celle qu'on lui donne; & c' eſt auſſi une preuve invincible de la liberté non interrompuë de Florence, puiſque traitant avec Charles V. elle l'engagea à faire l' office de Mediateur, qui n'auroit pû lui convenir, s'il avoit eu quelque Juriſdiction; & qu'elle ne lui donna cette faculté, qu'avec une reſtriction, qui aſſuroit pleinement ſa liberté, c'eſt à dire ſon indépendance abſoluë, l'un ne pouvant ſe concevoir ſans l'autre, ainſi que l'obſerve Grotius: (b) *Libertas ſine ſummo imperio intelligi nequit.*

Cette

